BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
25 L
14

CLERR. REGG. S. PAULI
COLL. SS. BLASII ET CAROLI DE URBE
PLUT. A. LOCULUS NUM.

EX BIBLIOTHECA ILL.mi ET R.mi D. D.
ALOISII LAMBRUSCHINI ARCHIEP. JAN.
S.a N.° Vol.

ex libris
Jo: And.s Ghiara [illegible]

8.25.L.14

DECRETA PROVINCIALIS SYNODI GENVENSIS,

Præſidente in ea R.mo D. Cypriano Pallauicino Genuenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.

Iterum impreſſa mandante R.mo D. Antonio Saulio Genuæ Archiepiſcopo.



GENVAE,

Apud Hieronymum Bartolum, 1586.

Permiſſu DD. Superiorum.

Ad Perilluſtrem, &
REVERENDISS.
D. D. ANTONIVM
SAVLIVM
Genuæ Archiepiſcopum.

NIHIL à te ſane ſit Reuerendiſsime Præſul, in quo maxima tua pietas in Deum, ſummus in ſubditos amor, ſingularis preterea humanitas, æquitasque incredibilis non luce

clarius appareant. ita enim de Dei cultu, & religione laboras, vt ad eam tuendam natus extimeris: ſubditos ita diligis, vt nihil tibi potius ſit, quam vt illos complectaris, atque foueas: cum omnibus tam humaniter agis, vt nihil fieri humanius, cuiq; ſit perſuaſum: æquitatis adeo ſtudioſus es, vt eam ſemper ante oculos propoſitam habeas, ad quam diligentisſime omnia referas. Equidem cum te video tam pie in templo verſari, dum ſacris operã das, immortales Deo agendas gratias cenſeo, qui talem nobis ſacrorũ Antiſtitem dederit, cuius exemplo magis ad religionem accendamur. cumq; te in ſubditos iuuandos ita eſſe propenſum intelligo, vt qua ratione illis maxime proſis, dies noctesq; cogites, temperare mihi non poſſum, quin exclamem omnibus lætitijs incedens, o fauſtum lætumque diem, quo talem tantumq; nacti ſumus parentem, qualem quantumq; exoptare vix auſi ſumus. Ipse enim cum omnes, tum ſacerdotes amplectens, vt primum in hanc vrbem, tui amantiſsimam patriã Archiepiſcopi munere functurus ingreſſus es, tecũ reputare cœpiſti, quo modo puerorũ ſacris initiatorum collegium inſtituere poſſes, vnde optimis

timis

timis moribus præditi, humanis ſacriſq; litteris exculti ſacerdotes prodirent, qui exemplis, & doctrina commiſſos ſibi populos ad optima quæq; perducerent. idq; curare ita diceris, vt nihil pecuniæ exigatur ab ijs ſacerdotibus, quos ſi velis, cogere poſſis eos ſumptus ſuppeditare aliqua ſaltem ex parte, quibus puerorum, qui in collegium peruenerint, foueri ſtudia queant. At tantum abeſt, ut ſacerdotes tuos, quorum omnium tenuia ſacerdotia ſunt, vrgeri exactionibus velis, vt etiam illos ſubleuare quã maxime ſtudeas. Quare aliunde pecuniam quærendam putaſti, quæ illi ſumptui futura par ſit. Quantam inde humanitatem tum oſtendiſti, cum ſacras parochiales ædes inuiſens, parochis blande appellandis, nulla aſperiore edita voce, ita ſeueritatem moderabaris, vt iucundam ſeueritatem, ſeueram iucunditatem vultu, & uerbis exprimeres. Iam uero quanta æquitas nõ in rebus ſolum à te geſtis, ſed etiam in uerbis effulget, cum nihil à te factum dictumue ſit, quod non ſit æquitatis pleniſſimum. Poſſem, ſi epiſtolæ ratio permitteret, cõmemorare plurima, quibus omni uirtutũ genere cumulatus proberis, cũ in eis muneribus, quæ ad te præclariſ-

ſima

ſima Summus Pont. detulit, ita te geſſeris, ut oẽs tuas virtutes admirati, te ſuſpicerent, amarent, obſeruarent: ſed quæ ne iuſto quidem libro comprehendi poſsint, cur dicẽda hic aggrediar? tamen non reticebo, quod paſsim à tuis ciuibus prædicatur, nihil eorum te prætermittere, quæ illi præſtanda ſint, qui Archiepiſcopi officium omnino velit explere. Quare quis dubitet, ſi te duce, & parente diu nobis vti licuerit, ne boni meliores fiant, & mali reſipiſcentes honeſtius vitam inſtituant? Iuſsiſti nuper in templo maximo ea publice legi, quæ ad animarum ſordes abſtergendas ſpectantia cum populo ſacerdotes ediſcant, vt, & ille rite ſua delicta confiteatur, & hi maculas à peccatis inſperſas eluendi rationem percalleant. Nec ſolum in vrbe, ſed etiam in vniuerſa diœceſi plurima à te ſapientiſsime excogitata tuo iuſſu fieri coepta ſunt, quæ ad bene beateque uiuendum, hoc eſt, ad virtutem pietatemque populos commotos traducant. Nouiſsime autem voluiſti Prouincialem Synodum æneis iterum formis excudi, cui Reuerendiſsimus Ciprianus Pallauicinus, Archiepiſcopus, integerrimus, & egregie litteratus vir præ-

fuit,

ſuit, ne huiuſmodi librorum inopia, optima præcepta ignorata deſinant à pleriſq; ſeruari. Quæ res licet, quod ad te attinet, nihil difficultatis habeat, tamen oſtentat etiam diligentiam tuam, ſummumque deſiderium, quo animarum ſaluti conſulendi exæſtuas. vtinam voluntatem meã poteſtas æquaret; facerem profectò, ut aliquando intelligeres, nihil me maluiſſe, quam res tuas geſtas per me poſteritatem doceri, eoque ſtudio eamdem iuuari, cuius e re eſſet tot egregia facta, tot ſanctiſsima exempla cognoſcere. verũ quas laudes calamo perſequi nequeo, nec oratione explicare, eas quoquo modo potero in animo voluẽs tibi omnia ſecunda à Deo Opt Max. perpetuo optabo. Vale, meq; in tuorum clientum numerum adſcribe: quod ſi feceris, omnia mihi accepiſſe videbor.

Tibi deditiſs. ſubditus.

P. Laurentius Blancus.

CIPRIANVS
PALLAVICINVS,
Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia, Archiepiſcopus Genuen.

Reuerendiſs. Prouinciæ ſuæ Epiſcopis. S.

QVANTO eos, quibus regendarum animarum cura commiſſa eſt, eniti ſtudio, quantaq́; diligentia, oporteat, vt iniuncto ſibi muneri ſatisfaciant, vel ex horrenda illa omnipotentis Dei comminatione non obſcurè cognoſci poteſt, qua ſe perditarum ouiũ ſanguinem è Paſtoris manu requiſiturum eſſe denunciat, ac ne eius quidem excuſationem illam accepturum, quòd, ipſo neſciente, lupus oues deuorauerit. Quòd ſi vmquam, ad cuſtodiendos greges à Domino creditos, paſtorum vigilantia opus fuit; hiſce profectò temporibus

¶ *eam*

eam vel maxime neceſſariam eſſe manifeſtum eſt; cum, gliſcente in dies immaniſsimi leonis circumeuntis caulas, & , quem deuoret, aſsidue quærentis ingluuie, adeò nihil vſquam tutum eſt, nihil pacatum, aut ab hoſtilibus inſidijs vacuum; vt nullus plane ſomno, & quieti locus relinquatur. Siquidem & Chriſtiani populi mores, fugatis paſsim virtutibus, in vitia prolapſi, atq; inſigniter deprauati quotidie in peius ruunt, & peſtilenti variarum hæreſum contagione, quæ in dies latius ſerpit, Eccleſia Dei aſsidue vexata non mediocriter affligatur. Hæc cum ſæpius mecum ipſe conſiderarem, quippe cui nobiliſsimæ huius Genuenſis Eccleſiæ, atq; prouinciæ gubernandæ onus à Deo optimo maximo, atq; à ſanctiſsima ſede Apoſtolica eſſet iniunctum; omnibus mihi viribus elaborandum eſſe ſtatui, vt repoſcenti quandoque ſupremo, atque æterno Iudici adminiſtrationis meæ rationem, ſi non exactam, at ſaltem aliquam reddere poſſem; ac in primis diram illam, atque formidandā execreationem, quantum in me eſſet, effugerem, qua in ſacris litteris deuouentur illi omnes, qui opus Dei faciunt negligenter.

Itaque

Itaque quò facilius iniri ratio poſſet, qua creditarum mihi huius prouinciæ animarum ſaluti quàm optime conſuleretur, ac vitiorum morbi tum imminentes arcerentur, tum graſſantes, adhibitis ſalutaribus remedijs, depellerentur; vbi primum occaſio mihi oblata eſt, prouincialem Synodum in hac ampliſſima Ciuitate, ac Metropoli, ſacroſancti præſertim Concilij Tridentini iuſſis excitatus, indixi; voſque, Reuerendiſs. Patres, ad eam peragendam, ac celebrandam conuocaui: quo cum omnes ſtudiose, pro veſtra ſingulari pietate, ac religione, quibus nihil impedimento fuit, conueniſſetis; quibus autem, iuſtis de cauſſis, adeſſe non licuit, alios, qui vice veſtra fungerentur, miſiſſetis; tum demum, ex communi omnium noſtrum ſententia, multa ſunt conſtituta, atq; ſancita, quæ ad Dei cultum conſeruandum, atque augendum, ad hæreſes repellendas, & ad morum correctionem maxime viſa ſunt pertinere. Quæ cum poſtmodum ſummi, ac ſacroſancti Romani Pontificis auctoritate approbata, & confirmata publicare tandem, ac tipis etiam excudenda curare decreuiſſem; vobis Reuerendiſs. Patres, inſcribere,

bere, atque dedicare conſtitui; vt, quibus adiutoribus, atque adeo auctoribus, eſſent compoſita, in eorum etiam nomine apparerent. Accipite igitur, & agnoſcite hæc prouincialis Synodi Genuen. decreta, eaq; & voſmet ipſi ſeruate diligenter, & vt ab alijs in diœceſibus veſtris exacte ſeruentur, operam date: quod quidem eo libentius facere omnes debebunt, quod ea non ſine diuini numinis afflatu, atque auctoritate condita eſſe, recte intuentibus perſpicuum erit: ſiquidem cum ad hæc ſancienda conuenimus, Deum Opt. Max. qui numquam irrita eſſe promiſſa ſua patitur, inter nos, vt potè in ipſius nomine congregatos, proculdubio medium adſtitiſſe credendum eſt. Valete, & vigilate.

A primam paginam, B alteram indicat.

DE profeßione ſidei catholicæ facienda, & diligentia aduerſus hæreticos adhibenda, deque libris prohibitis. fo. 1. a.
De magia, diuinationibus, incantationibus, ſuperſtitionibus tollendis. fo. 2. b.
De lectione Theologiæ, ac prædicatione verbi Dei. fo. 3. a.
De ſidei elementis a Parocho tradendis, & de ludi magiſtris. fo. 4. a.
De ſacramentis, & eorum adminiſtratione. fo. 4. b.
De Baptiſmo. fo. 5. a.
De confirmatione. fo. 5. b.
De Euchariſtia. fo. 6. a.
De miſſa, & cultu ad apparatum Miſſæ. fo. 7. b.
De pœnitentia. fo. 9. a.
De extrema vnctione. fo. 10. b.
De ſacramento ordinis. fo. 10. b.
De ſacramento matrimonij. fo. 11. b.
De Sanctorum reliquiis, & imaginibus. fo. 12. b.
De Eccleſiis, Oratoriis, Altaribus, & Cœmeteriis. fo. 13. a.
De prohibendis colloquiis in Eccleſiis. fo. 14. b.
De Eccleſiarum immunitate. fo. 15. a.
De reuerentia erga Cathedralem ab aliis Eccleſiis adhibẽda. fo. 15. a.
De Cathedrali Eccleſia vacante. fo. 15. b.
De diligentia adhibenda in eius vita, moribus, & doctrina perquirendis, qui ſit ad Cathedralem promouendus. fo. 16. a.
De [illegible], & eorum vita, & moribus. fo. 16. a.
De [illegible] parochiales. fo. 17. a.
De vita, & moribus Clericorum. fo. 17. b.
De Regularibus, & monialibus. fo. 19. a.
De reſidentia. fo. 20. a.
Decretum Concilij Tridentini de reſidentia, ſub Paulo III. fo. 20. b.
Decretum Concilij Tridentini de reſidentia, ſub Pio IIII. fo. 21. b.
De Parocho, & eius officio. fo. 22. b.
De Capellanis, ſeu Clericis beneficia ſine cura habentibus. fo. 24. a.
De Capellis a Clericis obtinendis. fo. 24. b.

Dæ

De Proceſſionibus faciendis, & repræſentationibus tollendis. fo. 25. a.
De funerum exequiis, & ſepulturis. fo. 25. b.
De rebus Eccleſiæ tuendis, deque iiſdem non alienandis, nec pignorandis. fo. 26. b.
De protectoribus, ſeu curatoribus Eccleſiarum, & piorum locorum, & operum. fo. 28. a.
De Diſciplinatoribus, & aliarum ſocietatum fratribus. fo. 29. a.
De Indulgentiis. fo. 29. b.
De Ieiunio obſeruando. fo. 30. a.
De feſti diei ſanctificatione. fo. 30. b.
De blaſphemis. fo. 31. a.
De concubinis, & meretricibus. fo. 31. b.
De fœnore, & fœneratoribus. fo. 31. b.
De Epiſcopali foro. fo. 32. b.
De pœnis. fo. 33. b.
De decretis tum obſeruandis, tum iterpretandis. fo. 34. a.
De Decretis interpretandis. fo. 34. a.
De fine prouinciali Concilio imponendo. fo. 34. b.

DECRETA PROVINCIALIS SYNODI GENVENSIS.

REVERENDISSIMI PATRES, placet ne vobis, vt ad laudem, & gloriam ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, ad augendam chriſtianæ religionis diſciplinam, ad emendandos mores, corrigendoſq; exceſſus totius prouinciæ Genuenſis, ſimulq; aliorum, ad quos prouincialis huiuſce Concilij decreta pertinebunt, tum ad alia, quæ a ſacris Canonibus, Conciliiſq; conſtituta ſunt peragenda. prouinciale Genuenſe concilium hodie inſtituatur; nulloque intermiſſum die tam diù duret, quo ad ipſum, Domino iuuante, ad exitum perducamus? Decreta ſacri Tridentini Concilij ad vnum omnia recipiamus? Veram obedientiam Romano ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici deferamus? Profeſsionem fidei ad præſcriptam quarto idus Nouembris. M.D.LXIIII. a fe: me: Pio quarto Pontifice Max.mo formulam faciamus? Epiſcopus ipſos, vt quiſq; primum creatus eſt, ita primum in ſedendo, dicenda ſententia, ferendoq; ſuffragio locum obtinere; quod vero ad Abbates, & ceteros attinet, aſsignationem loci quoquomodo factam nulli præiudicium facere decernamus?

Reuerendiſsimi Domini reſponderunt. Placet.

Qua reſponſione facta, Reuerendiſs. D. Archiepiſcopus tactis ſacroſanctis Euangeliis, in medio altari poſitis, fidei profeſsionem publice ex ea ipſa, quam diximus, formula fecit. Tum alij deinceps Epiſcopi in manibus eiuſdem Reuerendiſs. Archiepiſcopi ſacroſanctis Euangeliis tactis, & ipſi fecerunt in hæc verba.

EGO .N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet Credo in vnum Deum patrem Omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium: Et in vnum dominum IESVM Chriſtum Filium Dei vnigenitum ; & ex patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis: Et incarnatus eſt de ſpiritu Sancto, ex Maria virgine & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram patris: Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum dominum & viuificantem qui ex patre filioque procedit: Qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta nouæ legis a IESV Chriſto domino noſtro inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſollemni adminiſtratione recipio, & admitto; omnia & ſingula, quæ de peccato originali & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium Sacrificium, pro viuis; & defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe, vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, vna cum anima, & diuinitate domini noſtri IESV Chriſti. fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam conuerſionem Catholica

Eccleſia

Eccleſia tranſubſtantionem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari: Similiter & Sanctos vna cum Chriſto regnantes, venerandos atq; inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam: Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac IESV Chriſti Vicario veram obędientiam ſpondeo, ac iuro: Cetera item omnia a ſacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atq; profiteor, ſimulq; contraria omnia, atq; hæreſes quaſcunq; ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſentia ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſq; ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari quantum in me erit, curaturum, Ego idem. N. ſpondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De profeſſione fidei Catholicæ facienda, & diligentia aduerſus hæreticos adhibenda, deq; libris prohibitis.

CVM inter omnes paſtoralis officij ſollicitudines, hæc uel præcipua ſit, vt commiſſum ſibi gregem in vnitate Catholicæ fidei (extra quam ſaluus eſſe nemo poteſt) Paſtor contineat, & conſeruet, Reuerendiſſimis omnibus Ordinariis mandatur, vt intra tres menſes in Eccleſiis ſuis Pij quarti de profeſſione fidei conſtitutionem promulgent, & in ea contenta curent ab omnibus obſeruanda. In primis autem, idq; ſtatim, ab ijs, qui ſeu publice, ſeu priuatim docendi munere funguntur, quo-

rum etiam mores, ante quam fiat ijs docendi poteſtas, diligenter explorent, probatoſque habeant. Omnes item Epiſcopi tàm per ſe ipſi, quàm per ſuos Vicarios aduerſus hæreticos, eiuſue criminis ſuſpectos, conciliabula, in quibus de fide agitur, habentes, ſortilegia hæreſim præ ſe non obſcure ferentia exercentes, ac vetitos libros retinentes ſtudioſè inquirant. Edicta etiam proponant, ſtatuta excommunicationis pœna, ſi quis eorum, quæ ſuperius d ċta ſunt, aliquid ſciens clam habuerit, eaq; ipſa edicta ſæpius in ſuis tum Cathedralibus, tum parochialibus Eccleſiis per parochos promulganda curent. Vt ſi qucs ſorte ibi eſſe contigerit huiuſmodi peſtifera labe infectos, ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem deferantur. In primis autem efficiant vt illorum, qui ex alienis regionibus, præſertim vel ignotis, vel de hæreſi ſuſpectis, in illorum parochias recentes immigarint, congreſſus, verba, actiones & inſtituta, parochi diligenter attendant, & obſeruent. Ad regularum quæ ſunt in Indice librorum prohibitorum, exactam obſeruantiam compellant omnes, præcipue vero typographos, ſiue impreſſores, & bibliopolas, eorumque frequenter officinas, ſeu tabernas ſumma diligentia perſcrutentur, habeantque indicem librorum venalium ſubſcriptum ab Ordinario, vel Inquiſitore, nec alios poſſint vendere. ſub pęna amiſſionis librorum etiam non prohibitorum, in ceteris ſit ſaluum ius determinatum per Concilium Tridentinum. Concluſiones negotium fidei quauis ratione attingentes publice diſputandas proponi ne patiantur, niſi prius ab ipſis Reuerendiſſ. Ordinariis, vel a Reuerendo Inquiſitore recognitæ fuerint, & approbatæ. Sacræ ſcripturæ verba & ſententias, ſi quis ad ſcurrilia, fabuloſa, ſuperſtitioſa, diuinationes, incantationes ac famoſos libellos prauè detorquens vſurpauerit, pęnis tum a iure conſtitutis, tum etiam arbitrariis ab Epiſcopo afficiatur.

De magia, diuinationibus, incantationibus, ſuperſtitionibus tollendis.

IN ſortilegos, magos, maleficos, nec non aſtrologos, quos, qui non modo ex rerum natura obſeruationibus temporum mutationes, & alia, quæ rei nauticæ, agriculturæ, & medicinæ prodeſſe poſſunt, pronunciant, ſed profitentur ſe ex terra, aqua, aere, igne, ſortibus, ſomniis, corporis lineamentis, & aliis id genus futura contingentia, & a libera hominum voluntate pendentia poſſe prædicere, morbos arcanis quibuſdam a medicinæ ſcientia prorſus alienis depellere, furto ſubtracta indicare, &

ea,

ea, quæ fiunt alibi, quaſi oculis cernant, referre. & in eos maxime, qui ſacra Euchariſtia, & aliis ſacramentalibus ad huiuſmodi ſortilegia impie abutuntur, vel alia quauis ratione ſortilegia hæreſim præ ſe ferentia exercent, ex Canonum ſanctionibus ſeuere animaduertant. Tum eos, qui vel in ſe, vel in ſuis hæc fieri permittunt, corrigant, & caſtigent. Nec minus etiam illos, qui in negotiis, & itineribus ſuſcipiendis tempora, dies, horas, momenta, ſuperſtitioſe obſeruant. Eos pariter coerceant, qui ſcripta, in quibus de huiuſmodi rebus agitur, aut ſcientes retinent, aut legunt. Aſtrologiæ vero libri, qui medicinæ nauigationis agriculturæ adiuuandæ gratia conſcripti ſunt, non prohibentur, modo ne quis ad iudiciariam illis abutatur. qui verbis, nodorum nexibus, alioue quouis ſceleris nomine ſponſos, aut matrimonio iunctos maleficioſe coniugi impediunt, quo minus liberis operam dare poßint (quæ demonum inuenta latius in dies ſerpunt) coniunctos quidem ſeuere, ſuſpectos vero, prout ſuſpitionis ratio poſcere videbitur, puniant. Curent etiam odinarij, ne quis præcationibus, verſiculis, vocibuſue ex ſanctiſſima ſcriptura deprompțis ſuperſtitioſe abutatur, neu quis inter audiendam Miſſam qu d tale faciat, vt non nulli appoſita ad buccas manu Euangelium audientes, ad hunc finem, quaſi ea res valeat ad dolorem, vel leuandum, vel etiam tollendum, & ſi qua ſunt huiuſmodi.

De lectione Theologiæ, ac prædicatione verbi Dei.

ET quoniam ſatis non eſt ex animi hominum noxios prauæ doctrina ſtirpes euellere, niſi ſanæ ac ſalubris ſemina iaciantur; Id ipſum efficiendi ea erit optima ratio, ſi (quod optat Synodus) Epiſcopi, & Parochi commiſſum ſibi gregem per ſe ipſi alant Euangelij pabulo ſalutari. Ipſæ namque per ſe paſtoris voces, ac ſimplices cohortationes magnam vim habent ad oues excitandas, & commouendas. Quod ſi qui legitime impediuntur, quominus id per ſe munus obire queant; vicariam aliorum operam ad eam rem adhibeant, quorum ipſi vitam, mores, ac doctrinam abunde ſpectatam probatamque habeant. Qui Epiſcopi cum per ſe ipſos prædicationis, & lectionis munere fungentur, nullus interim eadem hora publice, vel legere, vel prędicare audeat. Conciones autem in alienis Eccleſiis habere nemini liceat; niſi cui nominatim ab ordinario poteſtas eiuſmodi conceſſa fuerit, etiam ſi eadem diœceſi alias eſſet concionatus.

natus. Curæque ſit omnibus contenta in principio ſeſſionis 5. cap 2. Tridentini Concilij diligenter obſeruare, ſanam doctrinam tradere, quæſtiones inutiles deuitando; vtque rationes, quibus nituntur hæretici ne afferant, propter imperitos & indoctos, in iis præſertim locis, vbi eiuſmodi homines adeſſe contigerit: præterea caueant a verbis ambiguis, miraculis, vel hiſtoriis ab Eccleſia non approbatis, vitia generatim reprehendant, Prælatos, & Principes cum caritate redarguant, & honorificam de iis faciant mentionem, populumque ad præſtandam iisdem obedientiam cohortentur. Curent etiam edoceri, quonam potiſſimum vitiorum genere parochia laboret; vt ad ea ſananda poſſint eſſe paratiores: denique curæ ſit illis, vbique populi vtilitati, & ſaluti non ſuæ ipſorum exiſtimationi, ac gloriæ inſeruire. Noctu vero ſuggeſtum ne vmquam conſcendant, ne tum quidem, cum de paſſione Domini noſtri IESV Chriſti concio erit habenda. Ceterum de victu, viatico, eleemoſina, quæ in diuini verbi concionatores erogari ſolent, cenſet Synodus laudabiles locorum conſuetudines eſſe ſeruandas, iuxta ſacroſancti Concilij Tridentini decretum ſeſſ. 24. c. 4. Sint autem mares in loco à feminis ſeparato, quàm id cōmodiſſime fieri poſſit. Quæ de Theologiæ, ac grammaticæ lectione, ad clericos, & pauperes erudiendos Tridentina Synodus ſanxit in capite primo ſeſſionis quintæ, ſicubi nondum impleta fuere, ne differantur. Curent etiā vt in Eccleſiis regularium, ex eiuſdem Concilij forma, eiuſmodi lectio frequentetur. Atque ea quidem feriatis diebus plerunque verſetur in earum rerum nodis explicandis, quæ in audiendis confeſſionibus dubitationem afferre conſueuere, ipſoque parocho de iis edocendo, quæ eidem cognitu ſunt neceſſaria. habeatur vero certo in loco, certis etiam horis, alternis ſaltem diebus. Ad eam omnes Canonici, Parochi, & confeſſarij a prælato conuocentur, eoſque idem cohortando, & blande appellando crebro inuitet. Dominicis autem diebus & feſtis habeatur in Eccleſia, verſeturque in vi ſacramentorum explicanda, quemadmodum in Catechiſmo continetur, initiiſque fidei tradendis, tum hominibus ab omni vitiorum, et nequitiæ genere reuocandis, ac deterrendis, & ad virtutes, honeſtaſque actiones adhortandis, & impellendis.

De fidei elementis, à Parocho tradendis, & de ludi Magiſtris.

PAROCHVS, regularis licet, qui omnibus obſtrictus tenetur, feſtum nullum atq; Dominicum intermittat diem, quo die hora opportuna pueris, quibus lacte eſt opus, elementa fidei pro ipſorum captu non explanet diligenter: ratio autem eo libello tradita, qui inſcribitur DOCTRINA CHRISTIANA *Compoſta per il Dottore Ledeſma, qui Parmę eſt impreſſus, ad eam rem vehementer appoſita videtur. Grammaticæ item Magiſtri, ex decretis Lateranenſis Concilij, debẽt et ipſi ſuæ curæ commiſſos pueros feſtis diebus ad fidem informare. Recitent igitur eis ad verbũ ex Cathechiſmo Romano aliquid, vel ex eo ipſo libello, de quo ſupra eſt dictum, qui Doctrina Chriſtiana inſcribitur vt nõ alio, quam, quo ſcriptus eſt modo memoriæ mandetur, omiſſis interpretationibus, in quibus ſi quid offenderet ætas illa, ſalutaris cibi loco mortiferum hauriret venenũ. Eiſdem præterea ludi magiſtris, qui nunc habitant in prouincia, mandatur, vt intra tres menſes proximos, ex quo tempore promulgata hæc fuerint, profeſſionem fidei apud eius diœceſis Epiſcopum vel apud alium, quẽ ille eiuſmodi muneri præfecerit, emittant quomodo infra explicabitur, vbi de profeſſione fidei agetur. In reliquum vero tempus, quicunq; aduenerint, ludum ne prius aperiant, quam eandem fidei profeſſionem rite emiſerint. Caueant autem, ne libros turpia, & obſcęna tractantes, atq; prohibitorum librorum Indice notatos pueris legendos proponant. Sed potius ſtudeant ætatem illam ad vitia proclinem honeſtis moribus imbuere: idq; ipſum an præſtent obeuntes diœceſim viſitandarum de more Eccleſiarum gratia Epi. diligenter exquirent. Prohibetur etiam eiſdem ludi magiſtris, ne pueros ducant ad diuina officia intra Chorum, vbi ſacerdotes, & clerici ea pſallant, ne verbis, rixis aliquando eadem diuina officia perturbent, ſub pœnis arbitrio Ordinarij imponendis. Cum verò recta adoleſcentium inſtitutio ex incorrupta magiſtri vita magna ex parte pendeat, patres omnes etiã atq; etiam rogat præſens Synodus, eoſq; qui paternam curam gerunt, ne temere quibuſuis, ac ſine delectu, ſed præceptoribus ijs liberos ſuos committant, quorum non doctrinam modò, verumetiam morum, ac vitæ integritatem, tum etiam ſenſus à fide catholica nihil prorſus abhorrentes habeãt in primis exploratos. Ad hæc optat eadem Synodus aliquam ab Epiſcopis*

iniri.

initi rationem, vt nonnulli deligantur homines tum religione, tum domini timore præditi, qui captiuos, appoſtatas, & infideles præſertim in triremibus vinctos adeuntes, ſumma ope connitantur noua prole domini familiam augere & aberrantes in viam reducere. Qua in re captiuorum atq; triremium dominos, vt ſe faciles præbeant, orat, atque obſecrat; qui tamen non debent ignorare, debere ſe hæreticorum, & apoſtatarum, quos in ſuis triremibus habeant, ad Ordinarios, vel Inquiſitorem nomina deferre.

De ſacramentis, & eorum adminiſtratione.

PAROCHI Sacramenta per ſe ipſi, legitimo impedimento ceſſante, ſuperpellicio, & Stola amicti reuerenter, mundo corde, puriſque manibus nullo intercedente quæſtu, aut pactione mercedis, in Eccleſia adminiſtrent. Ac tum egregiam nacti occaſionem ſacramentorum ipſorum vim, & efficaciam, quemadmodum a Romano Catechiſmo edocentur, paucis vulgari ſermone, clare, & dilucide populo miniſtrent; vt maiorem omnes reuerentiam, & religionem ad ea percipienda adhibeant. In eorum autem adminiſtratione, ab Eccleſię Romanæ ritu ne recedant, ex libelli formula, qui ea de tipis impreſſus propediem emittetur. Quòd ſi ijs abuſi fuerint, aliiſue abutenda præbuerint aut id fieri permiſerint grauiſſimis penis ab Ordinario afficiantur. Eadem ab Eccleſiæ Cathedralis miniſtro, Ciuitatis Parochis, & extra vrbem Archipreſbyteris, ab iis autem ſubiectis ſibi Parochis per manus hominis in ſacris conſtituti gratuito tradantur, omni prorſus repudiato munere, etiam ſponte oblato; nulla omninò contrarię cuiuſuis prauę conſuetudinis habita ratione. Adſeruentur autem diligenti cuſtodia, ne ad alterius manus, quam parochialia adminiſtrantis deuenire poſſint: Solidis quidem in vaſis, atque ita ſeparatim, ne commiſtionem, aut confuſionem fieri, erroriſue quidpiam in adminiſtratione admitti contingat. Superioris anni aqua Baptiſmatis, & aliis ſanctis Oleis, & Chriſmate vtatur nemo, ſed ea quotannis de more comburantur. In vrbe quidem feria quinta hebdomadis ſanctę ſi noua confecta, vel aliunde habita fuerint, extra vrbem vero ſimulatque omni adhibita diligentia noua fuerint accepta. Meminerint autem omnes, poſtquam Chriſma, Cathecumenorum ſeu infirmorum oleum attigerint, antequam ad alia ſe conferant, abluere manus, exemptamque

ex

ex ea ablutione aquam in ſacrarium effundere.

De Baptiſmo.

BAPTISMVS in Parochiali Eccleſia, infantibus, cum primum ſine periculo id facere licebit, ſollemnibus cęrimoniis conferatur, ad eius limina ſiſtendo: alibi vero nuſquam. Quod ſi periculum mortis imminere videatur, tum vero domi, acqua tantum adhibita a ſacerdote ſi is aderit, vel eo abſente, a viro qui id exſequi poſſit, aut, ſi vir etiam nullus adſit, a femina (non tamen a parentibus, ſi ſecus fieri poterit) conferatur. Quicunque tamen is ſit, baptizandi formam teneat in hæc verba: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel, Io ti battezo in nome del Padre, del Figlio, e dello Spiritoſanto: nihil plane aut ad hanc formam addendo, aut ab ea detrahendo. Si ſuperuixerit infans, primo quoque tempore ad Eccleſiam deferatur, vt ceteræ cærimoniæ, & ritus, qui obſeruari ſolent, adhibeãtur. Baptiſma autẽ ne iteretur, ideſt neq; verba, neq; ablutio. Si vero, ſumma adhibita diligentia, parum conſtet, an primo infans recte fuerit baptizatus tum vero conferatur in hæc verba: Si es baptizatus, Ego te iterum non baptizo: Si non es baptizatus, Ego te baptizo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Atque aquam interim, dum ea verba baptizans profert, infundat. Ad baptiſmi collationem vocatus accedat Parochus, nulla intericta mora: alioquin acriter obiurgetur. quòd ſi Parochi culpa euenerit, vt interim decedat infans; tum ille arbitrio Epiſcopi, vel a ſacris faciendis ad tempus amoueatur, vel alia grauiori pęna multetur. In baptiſmi autem collatione Parochus religioſe ſe gerat: clare, & diſtincte legat: Compater ſolus reſpondeat: Mulier autem audiat attente, & venerabunda cum ceteris aſſiſtat, a colloquiis interim, aliiſque omnibus vagi & inconſtantis animi ſignis cauens diligenter. Patrinus, vel alius quiuis laicus Chriſma aut baptiſmatis aquam, aut linteamina, quibus vnctus infans abſtergitur, prorſus non attingat: quin illa ne laico quidem vlli lauanda tradantur: multo vero minus in profanos vſus conuertantur. Ac primum Parochus interroget qui Patrinus, & quæ Commater futura ſit, & vnum tantum, ſiue vir, ſiue mulier ſit, vel ad ſummum vnum, & vnam admittat, præterea neminem. At ſi qui forte alij infantem in baptiſmi collatione tetigerint, non ea re tamen erunt Compatres, vel Commatres, neç vlla, niſi cum duobus illis, quos Parochus admiſerit, affinitas

contrahetur. Optat autem ſancta Synodus, vt deligantur ad munus id benemorati, quique Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & precepta decalogi, cum Apoſtolico Symbolo teneant; vt ſi forte illi, quibus eam operam dedere, parentibus orbarentur, paterni in iiſdem inſtituendis officij, quemadmodum tenentur, partes implere poſſint. Ab huiuſmodi vero munere is repellatur, qui Paſchate proximo Eucharistiæ ſacramentum non ſumpſerit: Item publice excommunicatus: Nec non religioſi: pariterque pater, & mater infantis: cum ſpiritualis inde affinitas oriatur. quæ, ceſſante neceſſitate, copulam inter coniuges impediret. Patrinos Parochus admonebit de ſpirituali cognatione in primo gradu contracta per baptizantem, & compatrem, commatremque cum baptizato, eiuſque parentibus; quæ impedimento futura ſit, quo minus inter tales matrimonio locus relinquatur. Atque ea quidem affinitas etiam contrahitur. quando aqua ſolum puer, etiam a laico, baptizatur. Idem moneat eoſdem compatres, hoc facto, onus ipſi imponi, naturalibus parentibus orbos, magiſtrorum, & aliorum, a quibus erudiantur, ope deſtitutos eoſdem pueros elementa fidei docendi: intermineturque matri, ſeu nutrici, ne infantem ipſum intra annum in eodem lecto cubantem ſecum habeant, ſubituris alioquin excommunicationis pœnam, & aliam quamcunque Ordinarij arbitrio ſtatuendam. Et puerperis denuntiet, ſimulatque domo exire licebit, ſeſe Parocho in Eccleſia vt ſiſtant, benedictionem ab eo de more acceptura. Praterea codicem apte compoſitum habeat, in quem baptizati nomen, naturaliumque ipſius parentum, Compatris, & Commatris, vna cum baptiſmi ſuſcepti die, ordine referantur. Fons baptiſmalis ſit lapideus, & ne ſordes incidant, contectus, atque ita compoſitus, vt effluens aqua delabatur in ſacrarium, clauſus claue, non humili, non depreſſo, nec obſcuro, (ne eo laici pro ſedili abutantur, aut contemptui habeant) ſed ſatis edito, & conſpicuo in loco. Vas in quo aqua baptiſmatis adſeruatur, ſit mundum, & integrum, ita coopertum, vt nihil omnino vel affluere, vel influere poſſit: qua vtatur, non alia, niſi neceßitas compulerit, eaque annua, non vetuſtiore. At anno, poſtquam infuſa fuerit, expleto, reliquum ſi quid erit, in ſacrarium effundatur.

De Confirmatione.

PAROCHVS, aduentante die, quo conferenda erit confirmatio, aliquanto ante hortabitur, vt ad tale ſacramentum non niſi confeßi acce-

accedant: vim ſacramenti eiſdem explicabit, atque vna ſpiritualis cognationis, vt in baptiſmate, contrahendæ certiores faciet. Idem repetet Epiſcopus vel pro eo alius tunc, cum ſuſcipienda erit confirmatio. Qui ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum accedit, eum non minoris ætatis quam ſeptem annorum eſſe conuenit. Item ſi qui minus ſint rationis compotes, repellantur. Quibus in baptiſmate non licet eſſe patrinis, quique ipſi nondum ſunt confirmati, iidem moneantur, quominus fiant in confirmatione patrini. In fronte vncti qui confirmantur, ne prius ab Epiſcopi conſpectu dimittantur, quàm ſint a miniſtro diligenter abſterſi. Quo facto ſuperuacanea fuerit in fronte goſſipij appoſitio. ſic maleficis hominibus præcludetur aditus, ne eo poſthac abuti conentur. Ex omnibus autem confirmatis exeat ex Eccleſia nemo, niſi prius habita Epiſcopali benedictione. Habeat vero Parochus librum, in quo confirmatorum pariter, ac patrinorum nomina conſcribantur; monitis eorum parentibus, vt intra octauum poſt acceptum chriſma, diem, ad ſe illa vel deferant ipſi, vel curent deferenda.

De Euchariſtia.

QVI Chriſtiani nomen profitentur, omnes ſiue mares, ſiue feminæ, ſimulatque per ætatem ſapere, & intelligere cœperint, niſi paſchali tempore communionem acceperint, ſciant ſibi ad Eccleſiam aditum fore præcludendum: Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi quid illis humanitus acciderit, expertes futuros: ac, niſi moniti celeriter reſipiſcant, palam in Eccleſiis excommunicandos: ac nihilo ſecius alia quoque iuris remedia adhibenda, quibus ad ſanitatem mentis reuocari poſſe videantur. Excuſabuntur ij tantummodo qui de Parochi conſilio communicare diſtulerint; dum ne vltra Penthecoſten, niſi ex graui cauſſa & legitima, progrediantur. neque vero culpa carebunt, qui ſine illius permiſſu (quod in ſcriptis conſtet) alibi ſumpſerint. Si quis tamen in Cathedrali, de licentia Epiſcopi, communionem ſumere voluerit, hoc ei non eſt denegandum; ita tamen, vt illius, qui in Cathedrali ſacramentum miniſtrat, chirographo intra octauam parochum ſuum faciat de ea re certiorem. Ceteris vero in locis ſumendi cuiquam Parochus licentiam non concedat, niſi graui aliqua, & probabili de cauſſa; eadem adiecta conditione. Purificatio autem, non in Calice, qui ad rem diuinam adhibetur, ſed in alio poculo laicis præbeatur; ne forte imperiti ex illa re in eam incidant opinionem, vt ſe putent etiam domini ſan-

guinem bibere. Pueros id ætatis, vt iam, quid ratio poſtulet, intelligant, & adoleſcentes de vi & efficacia ſacramenti confeſſarij & Parochi doceant. Quibus communio magis frequentari conſueuit temporibus, longiora ſubſellia, albis mantilibus inſtrata, quo commodius præbeatur communio, ſint parata. Sacramentum præbeat adſtantibus Sacerdos ſimulatque communionem ipſe ſumpſerit neque vero in id tempus differat, cum iam Miſſa erit abſoluta. Moneat tamen ante inchoationem communionis laicorum omnes, vt non recedant, niſi perfecta eadem communione, & Miſſa. Poſt Miſſam autem quicunque accedentes poſſint accipere communionem. Paſchali vero tempore admoneant Parochi illos, qui ad communionem accedunt per ſuſceptionem ſacramenti extra propriam parochiam, ſine proprij Parochi licentia, non ſatiſfacere præcepto, niſi alio die communionem ſumant, vel in parochia eorum, vel alibi de Parochi licentia. Quo quidem tempore, & aliis omnibus, matrimonio iunctos, ſi qui ſint incontinentiæ ſuſpecti, ac ſeorſum, non intercedente Eccleſiæ iudicio, habitent: publicos item concubinarios, fœneratores, facinoroſoſque alios in peccato perſeuerantes, atque excommunicatos a communione arceri, non eſt iniquum: immo vero nefas eſſet admittere. Seruetur autem perpetuo in Eccleſia parochiali ſacramentum, quod omnibus infirmis, qui ſunt in ea parochia, ſatis eſſe poſſit: & argenteo quidem in vaſe ad id comparato, ſi fieri poterit: quod ipſum lignea in capſula, quam vulgo tabernaculum, ſeu cuſtodiam ſacramenti appellant, pro dignitate exornata intus & extra, egregie communita, & bene compacta, firma claue concluſum habeatur: eaque capſula in medio altari maximo, niſi aliter neceſſe fuerit, conſtituatur: in qua nihil prætereæ ſit reconditum. Atque ante illud quidem ipſum ſanctiſſimum ſacramentum dies, noctesque perpetuo lumen adſit. Renouetur autem ſemel ad minimum ſingulis menſibus: ſæpius autem, ſi ſuberit aliqua corruptionis ſuſpicio. Hoſtiæ autem, ex quibus conficitur ſacramentum, ſint ex triticeæ puræ farinæ flore, Chriſtique imagine, vel nomine inſignitæ. Hortatur autem, vt nemo illas tã venales habeat, vt alij cuiuis, quã ſacerdotibus ad vſũ ſacrificij tradat. Quòd ſi aliqui abuſus exiſtãt in illis hoſtiis nõ conſecratis, ſiue benedictis, ſiue non benedictis in Eccleſia aliquibus perſonis tradendis, vel vino ſimiliter, vel benedicto, vel nõ benedicto in calice exhibendo, illos quamprimũ tollant ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus. In Oratoriis autem ne ſeruetur omnino hoc Euchariſtiæ ſacramentum, nec in hoſpitalibus præterquam in iis in quibus eſt conceſſa facultas illud ægris & ex ea familia reliquis miniſtrandi. At in monaſteriis ſacrarum virginum, nuſquam intra clauſtra,

ſed

ſed extra, & in Eccleſia ſeruetur. Ad eos, qui morbo laborant, deferatur in vaſe argenteo ad id decenter comparato, quod panno aliquo decoro ſit velatum; in quo, cum per loca ædificiis frequentia portatur, ſint duæ pluresue particulæ; ita vt reliquum quod erit, ad Eccleſiam poßit reportari. quod cum faciet ſacerdos ſuperpelliceo ſit, ſtolaque amictus. Interim vera Hymnos, & precationes pie pronunciando incedat: ſacramentum vtraque manu ad pectus adducta comprehenſum teneat, & ſi fieri poteſt, ſub vmbella, clerico præcedente ſuperpelliceum induto, qui Crucem præferat: item altero cum aqua benedicta, & campanula, cuius ſonitu populus excitatus accurrat ad adorandum, preces pro ægro fundẽdas, ſanctißimũq; ſacramentum comitandum, prælatis luminibus, & quàm fieri poterit plurimis tum præeuntibus, tum ſubſequentibus. opportuno tempore, ſonitu Campanæ facta prius ſignificatione populo, præſertim vero iis, qui ſunt adſcripti in ſocietatem Corporis Domini; quibus quidem omnibus pro tam pij muneris functione, pontificias indulgentias noua quadraginta dierum acceßione præſens hæc prouincialis Synodus cumulat. Et nihilo ſecius iis etiam, qui non ſunt in ſocietate, quadragenariam eandem indulgentiã impartitur. qua de re Parochus faciet eos qui aderunt certiores. Quod ſi propter turbidam tempeſtatem periculum ſit, ne extinguãtur candelæ adhibeantur etiam laternæ; ne quando contingat vt deſtituatur lumine ſacramentum. Cum vero ad difficilia acceſſu loca erit deferendum, ita compoſitum geſtetur, vt labente aliquo caſu Parocho, ipſum in terram ne decidat: vnicaque tantum particula portetur; qua ab ægro accepta, exutus ſuperpelliceo, extinctiſque luminaribus, redeat ſacerdos. Neq; verò vas propalam referat, ſed apte reconditum, ac decenter. Domus autem infirmi ſordibus omnibus, ſimulq; graui omni odore mundata ſit, & expurgata. Lineo albo panno ſtrata ſit ibi menſa, duobus impoſitis luminaribus, inter quæ medium collocetur ſacramentum. Cautionem vero ſummam Parochus in primis adhibeat, ne quis per ipſius incuriam ſine viatico decedat: ne ve ab iis, quibus ſacramentum miniſtrat, per eam occaſionem, verbo vel ſignificatione aliqua. propoſito vaſculo, per ſe, vel per alium eleemoſinam petat. Eidem curæ ſit inquirere diligenter, ecquis forte reperiatur, qui paſchatis tempore communionem accipere neglexerit. compertorum nomina ſtatim ad Ordinarium deferenda curet; vt in eos poßit animaduerti. Vt autem, qui tanto ſacramento debetur, honos, pietaſq; fidelium magis in dies magiſque augeantur; curæ ſit Epiſcopis, & Parochis, vt ad cultum Corporis Domini initæ ſocietates confirmentur, & ſicubi non ſunt, ineantur; vtque tam initæ, quàm ineundæ ſocietates, ad earum, quæ ſunt in

Ca-

Cathedralibus Eccleſiis, exemplum conformentur, quo ſint earundem quoque indulgentiarum participes.

De Miſſa, & cultu ad apparatum Miſſæ.

MISSAM celebraturus ſacerdos ab omni mortalis peccati labe per ſacramentalem confeſſionem ſe expurget. Neque enim ſatis eſt ſola contritio, ſi confeſſarij copia haberi poſſit. Idem Paramenta induturus ne illotis manibus ea attingat: nec ad Altare prius accedat, quàm Miſſæ celebrandæ rationem perpenderit: eamq; ne incipiat, niſi paratis iam rite omnibus, luminibuſq; accenſis. Ceremoniis in inſtaurato a Pio Quinto Pont. Max. miſſali traditis vtatur, nec ab earum præſcripto diſcedat. Rem diuinam nudato capite, venerandum in modum compoſito corporis geſtu, faciat: attente, non properanter legat; ne in audientium offenſionem incurrat, eorumque pietas refrigeſcat: neque vero tam lente, vt eiſdem faſtidium afferat. Omnino ſtudioſe ea omnia deuitet, quæ aliquam ſuperſtitionis ſpeciem præ ſe ferre, aut ſuſpicionem afferre poſſent; Cuiuſmodi ſunt, certus candelarum numerus, & miſſarum quarundam, iuxta decretum ſacri Conc. Trid. ſeſſ. 22. de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ. Purificatio Calicis fiat iuxta ordinem Miſſalis Romani a S. M. Pio V. editi. Planetam vero ne deponat, ne ve prius extingui lumina patiatur, quàm abſoluto, quod in fine de more recitatur, Euangelio. Calix, vel ipſius ſaltem calicis cupa, & patina aureæ, vel argenteæ ſint; reliquus omnis apparatus nitidus, & elegans; Hoſtia firma, integra, maculæ omnis expers; Vinum recens, ea ipſa die ex dolio, ſeu vaſe hauſtum, ac, ſi fieri poterit album. Nec integumentum capitis (birretum appellant) neque chirotecas in altari ſacerdos reponat; ne minor aduerſus Domini, quàm hominum menſam reuerentia adhibeatur. Cum eleuatur corpus, & ſanguis Domini, exigua campanula ſignum detur, cuius tinnitu ad pietatem, & venerationem adſtantes excitentur. At in ſollemni Miſſa campana pulſetur; quo ſonitu exaudito, qui abſunt, ad aliquas ſaltem concipiendas animo preces incitentur. Extra Eccleſiæ limina nemo Miſſam celebret. In Oratoriis vero, vel ad altaria nullis concluſa ſeptis extra Eccleſias poſita, an, & qua ratione id permittatur, infra explicabitur, Titulo de Eccleſiis. Conſecrato ad circunferendum comparato altari ne quis vtatur, niſi ſit integrum, eaque magnitudine, vt in eo Calix, & Hoſtia commode ſtatui poſſint. Sitque idem tribus

un-

numero mappis inſtratum. Peracto ſacrificio Miſſæ, eo ſe recipiat ſacerdos, vbi veſtimenta deponi conſueuere; preces interim, quæ in Miſſali continentur, recitans. Veſtes deponens cum nullo colloquatur: idque ipſum ſeruet, dum Miſſam celebraturus induitur. In aliena parochia, ac in Eccleſiis, & Oratoriis in aliena parochia conſtitutis, ſine licentia Ordinarij, vel Parochi dictæ parochiæ, ne quis ſacra faciat: caueatque vnuſquiſque, ne quid eorum negligat, quæ in concilio Tridentino, ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ continentur. Affigatur tabella in ſacriſtia; in qua relata ſint anniuerſaria omnia, quæ ſunt celebranda; per quam oneris ſibi impoſiti quiſque admoneatur: & ſi qui officio ſuo defuerint, eorum nomina ad ſuperiorem deferantur. Quod ad horam attinet celebrandi; in ea re populi vniuerſi non priuati cuiuſquam commodorum ratio habeatur; Ita tamen, ne id vel ante auroram fiat, vel ad meridiem vſque differatur. Caueant autem ſacerdotes, ne, poſtquam, paratis rebus omnibus, ad altare acceſſerint, in gratiam cuiuſuis ab incipienda Miſſa ſuperſedeant, inceptamue reuocent. qua re cognita, optimates, qui antea moram afferre conſueuerant; ſi quid in ipſis vel religionis, vel pietatis reſidebit; poſthabitis (vt par eſt) rebus omnibus, ad campanæ ſonitum & ipſi præſto erunt. Miſſam nouam celebrare nemini liceat, cui non ceremoniarum magiſter ſeruandorum, ex inſtaurati Miſſalis præſcripto, rituum ſcientiæ det teſtimonium. Externus vero, ſine dimiſſoriis Epiſcopi ſui litteris, ad celebrandum nullus admittatur. In nouis autem Miſsis ceſſent tripudia, ſaltationes, ſumptuoſa conuiuia: ceſſent etiam importunæ, & illiberales eleemoſinarum exactiones: &, iuxta decreta ſacri Concilij Tridentini, nihil pro Miſsis nouis celebrandis detur, ſub pena amiſſionis oblationum applicandarum operibus piis, arbitrio Ordinarij, & aliis pœnis arbitrio eiuſdem Ordinarij infligendis. Sacerdoſque ad collectam exigendam per Eccleſiam oblationis tempore ne vagetur, ſed ad imum altaris gradum conſiſtens, a viris; a feminis vero idoneo quopiam alio in loco, vltro collatum ſi quid erit, accipiat, porrigens interim accedentibus vel crucem, vel ſanctorum reliquias, vel manipulum, aliudue quidpiam, vel etiam manum, vt in Miſſis nouis ſolet aliquando, deoſculandam. Concentus ſeu modulatio, in qua ſubſit aliqua ſcurrilitas, vel obſcœnitas, omnino conticeſcat: nec quidquam tale, vel voces, vel organa reſonent. Qui altari miniſtrant, clerici ſint, clericali ſaltem ornatu, ac ſuperpelliceo, ſi fieri poſſit, amicti. Mulier autem, quamuis annoſa, ſacerdotis item celebrantis filius, etiam alias legitimus, eiuſmodi miniſterium prorſus ne attingant. Cogatur autem opimo ſacerdotio præditus clericum ſuis ſumptibus alere.

quod

quòd ſi tenue ſit, puerum gratis erudiat, qui pro clerico inſeruiat. Qui ſacrificio Miſſæ interſunt, ne extra Eccleſiæ limina, ne vè in foribus conſiſtant; ſed ingrediantur, relicto quidem extra Eccleſiam omni telorum, & archibuſorum, vt vocant, genere. Viri aſſiſtant venerabundi, & in Miſſa non ſollemni, flexis genibus, ſine tamen legitimo impedimento, idque perpetuo, niſi dum recitatur Euangelium; quod quidem ſtantes paullulum tamen inclinati, audient. Pudeat vero mulieres, paſſo capillo, vel templa, vel priuata etiam oratoria ingredi: neque id fieri ſacerdotes patiantur. Hæc omnia quibus rite obſeruare curæ fuerit, prouincialis hæc Synodus quadraginta dierum veram indulgentiam benigne cunctis elargitur. In Miſsis ſollemnibus, ab eleuatione corporis Domini, vſque ad communionem, non niſi flexis genibus manere quiſquam audeat. qui ſecus fecerit, obiurgetur. Ab altari autem abſcedant mulieres. at viri tametſi non tam longe amoueantur; ne tamen ita prope accedant, vt rem diuinam facienti moleſtiam poſsint exhibere. Non ſine magno animi dolore cernere licet nonnullis Eccleſijs neceſſaria ad ſacrificium Miſſæ ornamenta, & paramenta vſq; adeo lacera, & ſordida eſſe, vt non abſq; eorum, qui adſunt, animi offenſione, & nauſea conſpici queant. Quamobrem cogantur ab Epiſcopis Eccleſiarum Rectores, interceptis etiam fructibus, ei rei prouidere. ſuus laudabili loci cuiuſque conſuetudini locus relinquatur. quòd ſi tenues adeo ſint Eccleſiæ reditûs, vt ad victum, cultumq; Rectori ſuppeditandum non ſint ſatis; illius ſiue opidi, ſiue vici homines ad id cohortentur primum: obaudientes tamen, vel procraſtinantes etiam inuitos cogãt. Immunda autem illuuie corporalia ſordidum calicem, ſordida etiam cetera Epiſcopus ſi repererit, grauibus pœnis Rectores afficiat: In ijs enim cum vetuſtatis cauſſa ſit inopia, ſordium autem, & illuuiei culpam negligentia ſuſtineat; tolerabilis illa quidem quoquomodo, hæc vero nulla ratione ferenda videtur. Apparatu autem omni ad ſacros vſus comparato, qui de more benedici, conſecrariue conſueuit, ne quis vtatur, niſi rite benedicto prius, & conſecrato: nec in alium, quàm ad quem deſtinatum eſt, vſum vnumquodq; conuertat. Et quæ altaribus adiecta ſunt, ne Epiſcopi quidem ſedibus, aut mortuorum pheretris inſternantur. Altaris mappa ne quis ad tergendas manus abutatur, dum dicitur LAVABO, ſed parato ad eum vſum ſudariolo. Ex obſoletis vero, & detritis ſacris veſtibus ad profanos vſus laicis quidquam ne tradatur: ac ne miſſalia quidem, & ceteri veteres ſacri libri diſtrahantur, ſed igne crementur.

De Pænitentia.

CVM peccatoris conuerſio, corruptæque hominis vitæ inſtauratio ex confeſſariorum doctrina cum probitate coniuncta magna ex parte pendeat; perſuaſum prouinciale Concilium habuit militanti Eccleſiæ expedire, paucos potius integritate vitæ, atque ſcientia præſtantes viros habere, quàm multos ad tantum onus ſuſtinendum parum idoneos. Quocirca mandauit in primis, propoſita excommunicationis pęna, omnibus, qui parochialem Eccleſiam non obtinent, quacunque ſint illi conditione, ne cuiuſquam ſiue laici, ſiue clerici tam regularis quàm ſæcularis confeſſiones audiant, niſi ſint ab eius loci Ordinario rite approbati: quod ita eſſe ipſius Ordinarij chirographo conſtet: quod iidem, ne abſque delectu cuiuis tribuant, præcipit præſens Synodus. ſed iis ſolum, quos legitima ætate, pietate, morum, ac vitæ integritate præditos, deque animarum ſalute ſollicitos eſſe compererint: quorum etiam ſpectata (facto per examen periculo) doctrina ita ſit, vt ad id munus aptos eſſe, ſatis conſtet: adhibitis, ſi videbitur (in Ciuitatibus præſertim, & inſignibus opidis) doctis aliquot viris ſummaque vitæ probitate præditis; qui examini ita præſint, vt per calculos tecte in vrnam coniectos tacite quiſque, ad euitandas offenſiones, iudicium ferat. Quod quidem examen, et quam ad confeſſiones audiendas admittendi rationem regulares omnes, etiam mendicantes, in dignitatis etiam gradibus collocati, ſibi nouerint in omnibus eſſe ſubeundam; quemadmodum a ſacro Tridentino Concilio fuerat conſtitutum. Et quoniam multos, id ſibi vt liceret, artibus, & dolis, obreptitie, abſque eo quod periculum de iis fieret, extorſiſſe compertum eſt; idcirco preſens Synodus mandat iis omnibus, qui licentias, ſeu approbationes ab Ordinariis obtinuerunt, vt intra tres menſes, ex quo tempore publicata hæc fuerint (quod in vna quaque Cathedrali Eccleſia faciendum eſt) debeant illas Ordinariis, a quibus emanarunt, recognoſcendas oſtendere. quæ vero intra preſtitutum tempus oblatæ non fuerint, eas tanquam nullas & reuocatas declarat; ita vt earum prætextu confeſſiones in reliquum tempus audire nemini liceat. Ordinarij vero, propoſito edicto, ad certam diem cunctos, qui in tanti, tamque grauis muneris partem admitti cupiunt, vel ſaltem non recuſant, adeſſe iubebunt: vt, quos idoneos compererint, iis omnibus ſtatim licentiam gratuito concedant. Vt autem imminutus confeſſariorum numerus ſuppleri, pænitenteſque ipſi liberius, &

conſultius confeſſorem ſibi deligere queant; omnibus in Eccleſiis conſpicuo in loco propoſita perpetuo maneat tabella; in qua confeſſariorum eius Eccleſiæ nomina conſcripta ſint: quos omnes in Domino hortamur vt ſollemnioribus diebus, in tam pium, tamque ad promerendam diuinam gratiam accommodatum opus diligenter incumbant, ſimul & caueant, ne quid pro ea opera mercedis, vel eleemoſinæ a confitente, vel voce, vel ſignificatione aliqua petant. Mulierum vero interdiu (noctu enim numquam, neque in priuatis ædibus, niſi aliqua vrgeat neceſſitas, audire permittitur) confeſsiones audiant in ſedibus ad id dedita opera coaptatis; perforata, qua ſeparentur intercedente lamina, per quam confitentis mulieris vox ad aures confeſſarij permanare poſſit. Sitque eiuſmodi ſedes aperto aliquo, & commodo Eccleſiæ in loco. Audiantur etiam mares, quo ad eius fieri poterit, interdiu. Prauam autem conſuetudinem illam, quæ nonnullis in locis inueterauit, vt confeſſarij vagentur tam in Ciuitatibus, quàm in opidis, & pagis, confeſſas (ſic enim illas appellant) ſuas ad confeſſionem oſtiatim euocantes, damnamus, & abrogamus. Animaduertant etiam confeſſarij, ne pueros, & puellas ad confeſſionem accedentes aliquid flagitij per ineptas interrogationes, quod antea ne cogitarant quidem, doceant imprudentes. Neque tamen ita remiſſe cum his agant, vt interim neceſſarias interrogationes omittant: neue plus ſibi arrogent, quàm ipſis eſt permiſſum, abſoluentes in caſibus Pontifici Max vel Ordinario, etiam per ſuas, ſiue prouincialis, diœceſanæue Synodi conſtitutiones reſeruatis: quos quidem caſus omnes ante oculos propoſitos & ad manus ſemper habeant; ac præcipue Bullam in Cena Domini, quemadmodum in ea præcipitur. Caueant iidem, ne penes ipſos deponatur, ſi quid erit reſtituendum. quod ſi ſecus fieri non poſſe videretur; ne recuſent id quidem: ea tamen lege, vt cui rogati erunt, quamprimum depoſitum reddentes, ab eo chirographum accipiant; quod ei, qui depoſuerat, tradant; idque ad omnem auaritiæ ſuſpicionem, nedum auaritiam ipſam euitandam. ob eamque ipſam cauſſam, neque pro pęnitentia ſalutari pecuniam in eleemoſinam dari ſibi ipſis, vel eorum monaſteriis, vel Eccleſiis, aut aliis medio ipſorum, neque onus curandi Miſſas, vel ab ipſis confeſſariis, vel ab aliis eiuſdem Eccleſiæ celebrandas imponant. Iis autem qui palam, & multorum in conſpectu crimen aliquod admiſerint; ex quo in aliorum offenſionem incurrerint; publicam, & culpæ grauitati reſpondentem pęnitentiam imponant; quam ſoli Epiſcopo, ſi viſum fuerit expedire, ius erit in occultam commutandi. Bullas vero Iubilei quarum auctoritate, & præſidio pęnitentes abſolui volunt, accurate confeſſarij perlegant; ne contra, vel præter illarum præſcriptum

fiat

fiat abſolutio, irritaue votorum commutatio. Inter cetera curæ ſit illis, pœnitenes ipſos ad ſacramentorum frequentationem, & ad audiendum verbum Dei, piorumque librorum lectionem adhortari; repudiatis libris, animos (tametſi id minus forte appareat) ad laſciuiam inducentibus: vtq; officiis, & orationibus, quorum lectione eſt interdictum in Bulla, quæ eſt officiis Beatæ virginis, Sanctiß. D. N. Pij Quincti iuſſu, Romæ editis præfixa, ne vtantur; ſed eorum loco legant officium, eiuſdem Pontificis iuſſu, multis additis indulgentiis, quæ in eadem Bulla continentur, reformatum. Moneantq; pœnitentes, ne crebram confeſſariorum mutationem faciant. Accuſent etiam negligentiam eorum, qui neſciunt commiſſa a ſe peccata confiteri: cuius mali non alia profecto eſt cauſſa, quàm quòd negligenter ſuam examinarunt conſcientiam. In eos vero maxime, qui ob auaritiam feſtis diebus, aut ipſi opus ſeruile probibitum fecerunt, aut ab aliis, ſiue domeſticis, ſiue familiaribus operam exegerunt, agant ſeueriter, ac, ſi videbitur, cogant, vt quod ex eo lucrifecere, in pauperes erogent. Ludicrarum etiam artium magiſtros, qui mercede conducti pueros, vel puellas, vel ſaltare, vel fidibus ſonare, vel digladiari docent, cohortentur, vt feſtis diebus huiuſmodi opus intermittant. Quos vero fœneratores nouerint, ad reſtitutionem obligatos moneant; & vt reſtituant præcipiant. Tergiuerſantes, aut reluctantes nulla ratione abſoluant. De hæreſi ſuſpectos, vel damnatos libros retinentes etiam atque etiam hortentur, vt reſipiſcant, & huiuſmodi libros ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, deferant, vt in edictis continetur. Nam tales, per Bullam in cena Domini, ſine auctoritate Apoſtolica non poſſunt abſolui. Ac prædicta quidem omnia a confeſſariis omnibus, tam ſæcularibus, quàm regularibus obſeruentur. Sitque, ſi fieri poſſit, in omnibus Cathedralibus Eccleſiis pœnitentiarius Iuris Canonici conſultus, aut Theologus, aut licentiatus, iuxta decretum ſacri Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 8. vel alius magis idoneus annorum quadraginta. cui Ordinarij poterunt ampliorem, quod ad caſus ſibi reſeruatos attinet, abſoluendi facultatem impertire. Medici, quos curant ægrotos, amice, ac pie admoneant, vt animarum potius, quàm corporum ſanitati ſtudeant, per Eccleſiæ nimirum ſacramenta Confeſſionem, & Euchariſtiam. Quòd ſi vltra triduum confeſſionem diſtulerint; illorum curatione abſtineant: alioqui pœnis in apoſtolica Bulla contentis (de quibus iidem Medici ſæpius erunt admonendi) afficiantur. Et quoniam tanta eſt aliquando ægrotantium peruerſitas, & a Deo auerſio, vt Medicum de talibus admonentem pariter auerſentur, ad aliumque confugiant; propterea Medicus ſecundo loco adhibitus ne prius medicas manus admoueat ægroto, quàm is

confeſſus fuerit: Parocho tamen confeſſionis dilationem iuſta de cauſſa permittente, non deſerat.

De extrema vnctione.

EXTREMAE vnctionis ſacramentum miniſtretur, vel a Parocho, vel ab alio ſacerdote, cui id ille munus mandarit. Sit ille ſuperpelliceo, & ſtola amictus, comitatus clerico, cui, dum ipſe vngit infirmum, verba ſimul ad ſacramentum pertinentia effatus, vas committat, in quo oleum ſeparatim ab aliis ſanctis oleis adſeruatur. In eo autem conferendo, ne lente,ne ſegniter agat; ne quis interim caſus exiſtat, quo infirmus hoc propugnaculo defraudetur. Neque vero vt vocetur ſemper expectet; verum de ſuæ parochiæ infirmis ſollicitus, deque iis crebro percunctando, ad illos etiam non vocatus accedat: ægrotum ipſum ad confeſſionem & communionem hortetur, nec non ad extremam vnctionem petendam: quia huiuſmodi ſacramentum in nullum conferendum eſt, niſi aut voce, aut nutu ſaltem aliquo ſignificantem illius ſe deſiderio teneri. Itaque non detur pueris, impænitentibus, furioſis, qui poſſent irreuerentiam ſacramento facere; ſed illis,qui petierint,aut de quibus præſumitur, quòd ſi ſanæ mentis eſſent, petiiſſent. Aegrotum in agone verſantem confirmet ſacerdos,& hortetur,vt forti animo ſit, Deo ſe commendet, eius voluntatem lubenti animo accipiat & ad vitam beatam boniſque omnibus perpetuo cumulatam ex huiuſmodi miſeriis euolare ſtudeat. Tum ille Pſalmos, aliaſque ad id tempus accommodatas orationes legat. Nec ad extremum vſque halitum deſtituat. In vno autem, eodemque morbo bis nemo vngatur, niſi recidiuum patiatur; cum id ſemel feciſſe ſit ſatis. Et quia Parochi quandoque ſolent in his eſſe negligentes, idcirco Epiſcopi grauioribus pœnis illos cogant nihil omittere, quod ad ſuum in tanto diſcrimine officium præſtandum pertineat. Quòd ſi Parochum ad infirmum accedere volentem prohibuerit; ſiue infirmum teſtamentum facere volentem, perque eam fortaſſe occaſionem onere aliquo conſcientiam ſuam leuare parantem, ne id faciat,fruſtrando eluſerit; impedimentoue fuerit, quominus ſcriba vocaretur, aut vocatus intro admitteretur; excommunicationis pœnæ ſubiiciatur.

De Sacramento ordinis.

NON minorem curam, & diligentiam in ordinibus conferend's adhibituros Epiſcopos ſperat,in primiſque optat hos prouinciale Concilium

lium

lium, quàm in ſacro Conc. Trid. regulam, & formam Patres præſcripſerunt. quæ cum exſtet vſq; adeo numeris omnibus abſoluta, vt abſolutius, ac perfectius quidquam ne optari quidem poſſit; ad illam ſe remittit. Aduentantibus autem ordinationum temporibus, meminerint omnes Parochialium Eccleſiarum Rectores publice preces cum populo ad Dominum fundere; vt dignetur operarios ad opus ſuum tales aſſumere, qui bonorum, & fidelium ſeruorum, ac miniſtrorum nomine digni reperiantur. Non alia enim de cauſſa in tempus illud ſollemnium ieiuniorum conferuntur, quàm, vt eorum præſidio fultę, pro rei tantæ magnitudine, preces apud Deum noſtræ maiorem ad impetrandum vim habeant. Admonebunt etiam omnes illos, qui clericali tonſura, vel aliis ordinum inſignibus cupiunt exornari, vt, niſi repulſam ferre velint, omnibus iis egregie parati accedant, quæ ipſos præſtare oportet ex Concilio Tridentino: iis vero maxime quæ ad mores, pietatem, & ſcientiam ſpectant: de quibus Ordinarius ipſe (niſi grauiore aliqua re forte impeditus) periculum ſit facturus. Vt vero ab aliis Epiſcopis ordinetur, Ordinarij ipſi licentiam nemini concedant, niſi quem compertum habeant eſſe talem, qualem requirerent, ſi ipſi eſſent in illum eiuſmodi ordines collaturi: ſi non aliam, ob eam certe cauſſam, vt ſuam in eo fidem, & diligentiam probent alteri Epiſcopo; ſi forte is non aliter ſuam ſibi conſcientiam deoneraturus videatur, quàm ſi iterum examini ſubiiciat eundem ordinandum: tametſi in re tam ſeria, multo magis Dei, quàm hominum iudicium formidare oporteat. In iis, qui adſint Ordinario in eiuſmodi examinandi munere, deligendis, & ſi liberum ſit illi quoſcunque ſibi velit adiungere; modo vt prudentes, diuinæque legis peritos, & in eccleſiaſticarum ſanctionum ſtudio exercitatos, quoad fieri poterit, adſciſcat; numquam tamen ab eo munere excludendum cenſet Archidiaconum, qui compertos idoneos Epiſcopo ſiſtere conſueuit. Et quoniam ad ordines nullos promoueri quemquam oportet, qui non certæ alicui Eccleſiæ addicatur; propterea ſcribę meminerint ab Ordinariis quærere ordinationum tempore, cui quiſque ſit Eccleſiæ adſcribendus: nec ante litteras collati ordinis teſtimonium continentes tradant, quam eiſdem Eccleſiis adſcribantur. Ac ne quem ordinandorum propterea reiici contingat, quòd eorum, quæ præſtanda ſunt ex Tridentina Synodo, per inſcitiam aliquid omiſerit; iubentur Parochi populum frequenter admonere, vt qui in clericorum ordine cupiunt eſſe, Parochos ipſos adeant, a quibus diſcant, quæ pranoſſe oportet: ad hæc regulam quandam accipiant, qua quiſque dirigens ea, quæ ſunt in ordinationibus obſeruanda, errare non poſſit. In regulares autem, qui a ſummis Pontificibus probatam ali-

quam

quam regulam, ſiue inſtitutum non ſunt profeſſi, ſacri ordines nè conferantur alia ratione, quàm conferri debent in clericum ſæcularem, iiſdemque obſeruatis omnibus, ne, quemadmodum ſcriptum eſt in litteris apoſtolicis, nulla facta profeſſione, clericus huiuſmodi promotus ad ſacros ordines abſq; patrimonio & Eccleſia reperiatur: niſi aliqui priuilegium in contrarium habeant. Horum autem, ceterorumque omnium ordinandorum ætatis ratio diligens ab Ordinariis habeatur: neque in ea re cuiuſuis hominis dicto ſtetur; quòd teſtes pro certo ſæpius affirmaſſe, quod ignorabant, re ipſa cognitum ſit. Et vero etiam ex oris inſpectione, qua quiſque ſit ætate, coniecturam facere non eſt difficile. Quemadmodum autem Epiſcopi ipſi gratis ordines conferunt; ita etiam curæ ſit illis efficere, ne quis familiarium ſuorum quidquam accipiat; vt ne aliqua iis forte auaritiæ nota inuratur.

De ſacrdmento Matrimonij.

MATRIMONII contrahendi publicæ denunciationes fiant, ex forma Tridentini Concilij, a proprio contrahentium Parocho; idque inter ipſa Miſſarum ſollemnia, cum maior aderit populi frequentia, propoſita excommunicationis pœna, commonitis omnibus, vt ſi quis, quid nouerit obſtare impedimenti, ſtatim denunciet; ne illius ignoratione contingat, vt in quo per eccleſiaſticas leges non licet, gradu forte contrahatur. Quarum denunciationum elapſis temporibus, nulloque impedimento detecto; Parochus, ſiue viri, ſiue mulieris, in cuius parochia celebrandum erit matrimonium, ab altero Parocho de rite facta denunciatione, deque nullo exiſtente impedimento cum cognouerit, ſponſos per ſe ipſe matrimonio rite coniungat. Liceat tamen denunciationes huiuſmodi interdum omittere Ordinario, cui hæc facultas, & non alteri, competit, id ex cauſſa permittente. Interea vero, dum fiunt denunciationes, nulla ſit cauſſa, qua freti, ſeu ſponſus, ſeu ſponſa domos frequentent alter alterius, ac ne per ſpeciem quidem veteris amicitiæ, ſeu vicinitatis; ne, detecto forte impedimento, contingat, vt eædem, non ſine infamia, remaneant innuptæ, vel alium certe virum difficilius reperiant. Abſtineant autem a copula in primis. nam qui futuri matrimonij fiducia, aut ſpe coierint; detecto poſtea impedimento, norint ſibi, aut nullam, aut omnino difficilem ad diſpenſationem, pro eo matrimonio contrahendo, patefactum iri viam. ac nihilo tamen ſecius, ſi nullum detegeretur impedimentum, fornicationis admiſſæ abſolutio Ordinariis ſit reſeruata;

ta;

ta; qui hæc præſcripta minus ſeruantes plectant. Vagi homines ad matrimonium ne admittantur, niſi Ordinarij permiſſu: qui tamen, antequam id faciat, exquirat, quàm poterit diligentiſſime, quàm bene huiuſmodi maritus futurus de fide catholica ſentiat: de quo etiam illi ſit exploratum, nullo eundem a contrahendo matrimonio excludi ſacrorum Canonum impedimento. Ad tollendum vero rixarum, & capitalium inimicitiarum occaſiones, quæ ex contractorum inter impuberes, tam per ipſos, quam ipſorum parentes, ſponſalium diſſolutione oriri poſſent; optat præſens Synodus, ne inter impuberes in reliquum tempus ea contrahantur: contracta vero tam inter impuberes, quàm puberes, altera partium non conſentiente, vbi maxime iuſiurandum interceſſit, ne diſſoluantur omnino, niſi per Ordinarium; qui, cauſſa cognita, licentiam concedat. Et cum ſponſalia matrimonium non ſint; probibet prouincialis Synodus Parochis ne ipſi, vbi huiuſmodi ſponſalibus interſunt, verba matrimonij proferant: quin adſtantes doceant, illa tantum ſponſalia eſſe, non matrimonium. Mulieres, quarum viri peregre profecti, longinquis in regionibus mortui eſſe dicuntur, ad ſecundas nuptias a Parochis ne admittantur, niſi ante, per idoneas probationes, de prioris mariti morte certior Ordinarius ſit factus. Benedictiones ſponſarum ſecundo nubentibus ne dentur omnino: aliis autem, nec ab Aduentu Domini, ad Epiphaniam; nec, a quarta feria Cinerum, ad octauam Reſurrectionis incluſiue. eius autem dandæ ius ad propriũ Parochum pertinet: quo tamen permittente, mulieris etiam Parocho, & alij cuiuis ſacerdoti dare licebit. Id autem in Eccleſia fiet inter Miſſarum ſollemnia, iuxta formam Miſſalis a Pio Quincto reformati: non autem per ſiccam (vt vulgo appellant) Miſſam. Et quoniam inter copulatos quandoque controuerſiæ exiſtunt, cum ambigitur, num ſacerdos, qui illos matrimonio iunxit, cum Parochus non eſſet, de Epiſcopi, vel Parochi licentia id fecerit; propterea ſtatuit prouincialis Synodus, ne cui Parochus, neu Epiſcopus eam faciat poteſtatem, niſi grauior aliqua cauſſa impulerit. Id autem ſi contingat; adhibeatur ſcriba, vel tres ſaltem teſtes; quorum teſtimonia intra triduum in acta recipiantur. qui contrafecerit, plectatur. ſingulis autem menſibus contenta in capitulo primo ſeſs. 24. Concilij Tridentini Parochus populo denunciet; idque vernacula lingua, quam omnes intelligant. Parochi inquilinos omnes. qui in ipſorum parochias immigrabunt, diligenter interrogent, & ab aliis etiam quærant, an, quas illi apud ſe habent vxorum loco, legitimæ ſint vxores: ac ſi ita faciendum videbitur, ab eiſdem exigant certum vel illius, vnde ſint orti, vel alterius, in cuius, ante id tempus, parochia domicilium habuerint, teſtimonium. Eos

item,

item, qui, relictis domi vxoribus, externis in locis vel diuturnum, vel perpetuum habent domicilium, prĕſertim incontinenter viuentes, curent vxores ſuas ad ſe reuocare, aut continenter viuere, ſi vxores ad ſe reuocare nequeant.

De ſanctorum Reliquiis, & Imaginibus.

QVAE de Reliquiis, & Imaginibus ſanctorum ſtatuit Concilium Tridentinum, tam ad illarum cultum, quàm ad venerationem, aliaque ſpectantia, meminerint omnes obſeruare; curæque ſit Epiſcopis omnino vt obſeruetur. In quo hęc erit habenda ratio in primis, vt eæ, quæ certæ ſunt, ſtatis, cum veneratione, temporibus oſtendantur: at incertæ ſecreto, tuto tamen, & honeſto in loco adſeruentur. Vaſa vero, quibus Reliquiæ contineri ſolent numquam inania populo ſpectanda proponantur; ne Reliquiis debitus honos vaſis ipſis per imprudentiam tribuatur. Apud laicos, eorumque confraternitates, ſanctorum Reliquiæ, ſi quæ reperiantur, ita conditæ ſeruentur, vt profanis illas manibus attrectare laici non poſſint. Si qua etiam praua in iis tum pro ponendis, tum venerandis forte obrepſerit conſuetudo; viſitantes hanc Epiſcopi tollant, omnibus turpis quæſtus ſordibus plane abdicatis. In ſacris autem denuo pingendis, fingendiſq; Imaginibus cautio adhibeatur, ne qua vel inſolita Imago, vel inſolito geſtu, habituue conformetur; quæue miraculum exprimat eiuſmodi, quod grauis alicuius ſcriptoris non ſit teſtimonio comprobatum; obſcœniue, aut ridiculi quidpiam præ ſe ferat: ſed tales ſint omnes, vt ex illarum inſpectione ad pietatem excitentur animi, et apud imperitam multitudinem narrationis obtineant locum præclare geſtæ rei alicuius, atque imitatione dignæ. Si quid in iis, quæ iam pictæ, fictæue ſunt, inerit vitij; quàm id fieri poterit optime ad preſcriptam normam vt corrigatur, operam dent Epiſcopi: tum in eiuſmodi rebus peccandi licentiæ in reliquum tempus modis omnibus occurrant. In aulæis, ſiue tapetibus, quæ ad ornandas adhibentur Eccleſias, eadem ratio ſeruetur: Satius eſt enim nudas prorſus, quàm præter decorum, dignitatemque exornatas Eccleſias ſpectare. Crux autem de cetero in pauimento, aut oſtio ſepulchri, puſillæ quamuis formę, vltro citroque commeantium pedibus temere conculcanda non relinquatur: ſed eradendam, delendamue, vt curent vbique Rectores Eccleſiarum, præſens Synodus mandat: ac nihilo ſecius, e ſordidis, & immundis locis omnibus vt Crux ipſa, & ſanctorum Imagines, vt par eſt, amoueantur.

De

De Eccleſiis, Oratoriis, Altaribus, & Cœmeteriis.

CVM multo rectius ſit, paucas ſartas, tectas, & integras, egregieque rebus omnibus inſtructas, & ornatas, quàm ruinam minantes complures, obſoletas, ſordibuſque obſitas habere Eccleſias: cumque Parochialium nonnullarum tenues vſque adeo reditus reperti ſint, vt neceſſarios Parochis ad victum, ad cultum, & ad ſacramenta in iis rite, ac perpetuo (vt par eſt) habenda, tuendaque ſacra item conficienda, ſumptus non ſuppeditent: cum permultas præterea conſtet eſſe (in agris maxime) non parochiales, haud abſque chriſtianę religionis dedecore, & infamia, vetuſtate collabentes, ac ruinoſas; idcirco Epiſcopis mandat præſens Synodus, vt ſtudioſe, ac diligenter contenta in Capitulo VII. ſeſs. XXI. Concilij Tridentini, cum primum id commode fieri poterit quod vero ad non parochiales, campeſtreſque Eccleſias attinet, omni poſtpoſita mora, exſequantur; ne Domini templo facinoroſi homines pro ſpelunca latronum abutantur. Auctoreſque ſint ruſticis hominibus, quorum pagos nullis iuncti pontibus amnes interfluunt, quibus commode tranſiri poſſit; vt vnum aliquod ſaltem ſacellum habeant inſtauratum, & vndique ita obſæptum communitumque, atque validis clauſtris, firmaque claue concluſum, ne aliâ, quam per ipſum oſtium, cu quam pateat ingreſſus: quo quidem in ſacello, ſi qua obueniat neceſsitas, vt morbo laboranti viaticum ſit præbendum; Euchariſtiæ ſacramentum conficere, commodeque id ipſum ad infirmum deferre queat ſacerdos. neque enim decet, in tali obeundo munere, vado tranſeuntem, aut anguſtis pontibus, ſeſe, ſanctiſsimumque vna ſacramentum eiuſmodi periculo committere, vt in flumen caſu aliquo collabenti e manibus excutiatur; quem oculis in ipſum ſacramentum defixis, in idque vnum tota cogitatione intentis ſecurum vbi ſiſtat veſtigia interim eſſe oporteat. At vero laicorum coniunctas cum Eccleſiis domos, iure, ſi liceat: ſi vero minus; dominorum ipſorum voluntate, diſiungendas curent. Feneſtræ, per quas in Eccleſiam vel inſpectus, vel aditus patet ſi Ordinario expedire videbitur, obſtruantur, & dehinc nullæ fiant. Ad eiuſdem quoque parietes extrinſecus immundi, aut profani nihil admoueri, aut alligari, etiam nundinarum, ac mercatus tempore permittitur; in eiuſue veſtibulo venale aliquid exponi, choreas duci, aleatorium ludum haberi, comeſſationibus, compotationibusque indulgeri,

nec in earum cœmeterijs, nec diſciplinatorum (quos appellant) in ędibus, ſiue Oratorijs ius faſque ſit. Dotata in Eccleſijs altaria, quorum ſunt fidei commiſſa, rectoribus mandent Epiſcopi, vt habeāt tam redituum ijs attributorum, quàm ſacrorum ad ea rite faciendorum rationem, eaque ipſa diligenter curent atque tueantur. Quæ vero ſunt indotata, ab ijs iubeat, qui ea dicarunt, inſtaurari & exornari: & niſi intra certum tempus limitandū ab Ordinario id fecerint; eo elapſo, ipſo iure decidiſſe intelligātur ab omni iure, quod ipſis quoquomodo cōpeteret. Quæ verò ſunt extra fores Eccleſiæ, nullis cōcluſa ſæptis, ea ſæpiantur, claudanturue, aut omnino tollantur. Sint autem non lignea, ſed lapidea omnia: ſint etiam conſecrata, aut quibus ſaltem conſecratus mobilis, dum celebratur, impoſitus ſit lapis. In eorum pauimento, quod mundum & integrum eſſe oportet, poſthac defunctorum corpora ne humentur; ſed ſubſtructis in ſepulcris condantur, dummodo huiuſmodi pauimentum aliorum impenſis reparetur, & ſine detrimento templi id fieri poßit: vel extra in cœmeterio. Sit in omni Eccleſia ſacrarium in loco ſemoto, & abdito (decet autem id eſſe non longe ab altari maximo) quo aqua excipiantur, qua corporalia, calix, & alia ſacra lauentur; tum qua, poſt contactum Chriſma, & oleum Catechumenorum, atque infirmorum, ſacerdos manus abluere conſueuit. Sit præterea vas aquam mundam continens, iuxtaque mundum mantile, ad manus, tam ante, quàm poſt Miſſam, abluendas, atque tergendas. Id vero nuſquam alibi, quàm in ſacriſtia commodius collocari poſſe videtur. Oratoriorum priuatorum vſus pro dicendis Mißis olim ad ægrotantium neceßitatem permiſſus; aucto in dies magis hominum luxu, ac faſtu, contràq; religione, ac pietate imminuta, adeo increbuit, vt ex optimatibus pauci ſint admodum, qui, etiam cum nulla cogit neceßitas, dum ruſticantur, feſtis, Dominiciſq; diebus ad parochiales accedant. Idcirco decernitur, ne cui priuatorum huiuſmodi oratoriorum conſtructionem in reliquum tempus Epiſcopi, niſi graui aliqua de cauſſa, permittant; qua ceſſante, eorum vſus ipſo facto ſuſpenſus eſſe intelligatur. Epiſcopo tamen concedente, ſit in aliquo palatij, vel domus honeſto loco; qui occluſus, & obſæptus ſit, ad ſacrum Miſſæ vſum; modo diebus Dominicis, & feſtis præcipuis, vel ipſe Dominus, vel alius pro eo ad parochiam accedat auditurus monitiones, & denunciationes, quę ibidem fieri conſueuerunt: admonitis vtiq; dominis tam conſtructorum, quàm conſtruendorum, diligenter vt caueant, ne in profanos vmquam conuertāt vſus, neque ijſdem interim abutantur. Hortatur autem præſens Synodus, & monet, ſancti Concilij Tridentini decretis inhærendo, vt omnes frequenter ad ſuas parochias, ſaltem diebus

Domini-

Dominicis, & maioribus feſtis accedant. In eiuſmodi autem, ac etiam ſocietatum(quas confraternitates appellant) Oratorijs nullus clericus peregrinus,ſiue ſæcularis,ſiue regularis celebrare audeat, niſi eo ipſo in loco nominatim,vel ab Ordinario,vel ab eius Vicario, de ſcripto facta ſibi poteſtate gratis concedenda. In maxime ſollemnibus autem diebus,Natalis Domini,Paſcatis, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes Corporis Chriſti, & quinctæ feriæ hebdomadis Sanctæ, Aſſumptionis beatæ virginis, Sanctorum omnium, nemini liceat in præfatis Oratorijs Miſſam celebrare,aut audire. In ijs autem, quæ clauſa vndique vel non ſunt, vel non habentur, vt pleraque contingit eſſe campeſtria, ne data quidem licentia, celebretur: nam eiuſmodi licentias nullas, & inualidas eſſe præſens Synodus cenſet,& declarat. In Eccleſijs, & Oratorijs,atque adeo in ijs quæ clauſtra etiam regularium,& canonicæ ædes appellantur, ſcholæ puerorum, & ſæcularium omnino tolluntur, & prohibentur. mandatur etiam omnibus in clauſtris prædictis degentibus, vt eadem clauſtra obſerata teneant, & ſinguli clauem habeant, vt poſſint egredi,& ingredi,quamuis eadem loca clauſa maneãt:nec vmquam ea aperta permanere patiantur;neq; in eiſdem clauſtris ſeu domibus canonicis appellatis ſuſcipiant mercede alendos ſæculares:neque eaſdem domos laicis omnino locent. Neque vero ibi ſupellex vlla, frumentum, vinum, aliudue quiddam profani conditum ſeruetur: ac ſi quid tale repertum fuerit, ne citato quidem Domino, in pauperes ſtatim erogetur. Sit Eccleſias ingredientium geſtus, habituſque corporis ad modeſtiam, religionemque compoſitus: idemque perpetuo ad exitum vſque retineat. Orationibus inſtetur,flexis genibus. Sanctiſſimum oẽs adorent ſacramentum Audito IESV nomine,demiſſo capite genuflectatur.Nullus in Eccleſia ſeditionem,aut in quemquam impetum faciat,tumultum excitet, clamoreſue tollat. Ceſſent inania, fœdaque feminarum cum inter ipſas tum vero cum viris colloquia,profuſique, & immoderati riſus,& ſi qua alia diuinã rem interpellare,aut perturbare poſſent. Nullus,dum diuina celebrãtur officia,dum concio,lectioue habetur,deambulare audeat,atque ideo mendicantes etiam interim conquieſcant, & ad valuas eleemoſinam petant, quemadmodum Sanctiſſimi D.N.Pij V. (quod quidem exſtat)decreto eſt cautum. Enimuero canum per Eccleſias concurſatio nullo pacto interim eſt ferenda. Quare,cui id eſt munus, a ſacris liminibus arceat. Altari, & Baptiſterio inſideat nemo;neu auerſus aut ſtet,aut ſedeat a Sanctiſſimo ſacramento. Preterea ne laici in Eccleſijs,neue in cœmeterijs conuentus, ſeu concilia habeant: ne iudicia exerceant, eorumue quidquam,quæ ad iudicia ſpectant:nec contractus ciui-

les conficiant, aut rogent; quos diebus feſtis, abſque vrgente neceſſitate, etiam ne celebrent, interdicitur. Peractis diuinis officiis, Eccleſiarum fores claudantur; ne in eis laici, præſertim mulieres, admittantur ad ſermocinandum. Si qui vel Eccleſiarum rectores, vel regulares fuerint in eiuſmodi negligentes; ab Epiſcopis ex pontificiæ bullæ præſcripto grauiſſime obiurgentur, & pœnis ac cenſuris ab Ordinario infligendis plectantur. Cœmeteria ſint vndique obſæpta; ne brutis ad ea pateat aditus: ſintque ſentibus, & ſordibus quàm poterit fieri commodiſſime, expurgata. Cloacæ, ductus aquarum, latrinæ, feneſtræ, per quas ſordes vel influere, vel immitti poſſent, prorſus tollantur. tum in iis ne ludi fiant, nec ſpectacula præbeantur, nec comeſſationes, aut diſtributiones cibariorum a Parochis, aut quibuſuis Eccleſiaſticum beneficium habentibus, quæ populo fieri ſolent. Sed huiuſmodi ſumptus, qui comeſſationibus, & potationibus antea maximo cum ſcandalo conſumebantur, in pios vſus conuertantur, arbitrio Ordinarij: nam hoc pacto occaſio rixarum, quæ ſæpiſſime oriebantur, omnino tolletur.

De prohibendis colloquiis in Eccleſiis.

ET cum vnum ex præcipuis Epiſcoporum ſtudiis hoc eſſe debeat vt omnes confabulationes, ſtrepitus, contentioneſque ex locis Deo dicatis, præſertim horis illis, quibus diuina recitantur officia, tollantur; Præſens Synodus, omnibus Ordinariis ſub interminatione diuini iudicij, & ſub vinculo artiſſimæ rationis proxime futuro concilio reddendæ, præcipit, vt omni cura, & ſollicitudine enitantur, vt expedire ſingulorum conſcientia ipſis dictabit, vt colloquia, confabulationes, & ſermones tam virorum, quam mulierum ex Eccleſiis auferantur: & præſertim curent, ne viri ſermonem diuturnum cum mulieribus in templis habendi opportunitatem habeant; quod facient omnino, vel aſſignando mulieribus locum penitus ab eo ſeparatum, in quo viri reſidebunt, vel alias, prout ipſis melius expedire videbitur. Mandatque iiſdem Epiſcopis diſtricte, & quouis validiori, & magis obligante modo, vt, quod ſtatuerint, faciant inuiolabiliter obſeruari, ſub pœnis & cenſuris. qui ſi in hoc negligenter ſe geſſerint; ſciant ſe ipſos periculum pœnarum, & cenſurarum ſubituros in concilio ſequenti, præterquam quòd vindictæ diuinæ ſubiacebunt.

De

De Eccleſiarum immunitate.

QVEMADMODVM autem decet Epiſcopum conceſſam Eccleſiis per ſacros Canones (etiam imperatoribus approbantibus) ne quis ex illis, vel illarum cœmeteriis, & ambitu inuitus abſtrabatur, immunitatem integram inuiolatamque (vt ad huc eſt factum) conſeruare; ſic adhibenda ſumma cautio eſt, ne huiuſmodi occaſione improbi homines licentia abutantur, & eccleſiaſtici effugij fiducia graſſentur audacius. Cum itaque ſit cognitum publicos latrones, nocturnos agrorum populatores, & qui ea ſpe freti in eiſdem Eccleſiis, vel cœmeteriis enormiter delinquunt, in eaſdem Eccleſias paßim recipi, idcirco eccleſiaſticis omnibus interdicitur, ne poſthac huiuſmodi homines, quos Canonum diſciplina expellit, in ſuis Eccleſiis, vel ad Eccleſias attinentibus ædibus vrbanis, ſuburbaniſue commorari patiantur. Verum, ne forte contingat, vt, dum huiuſmodi homines ab Eccleſiis per clericos exiguntur, a lictoribus ſtatim excepti ad ſupplicium rapiantur; cum eiuſmodi caſus inciderit, poterunt Ordinarij (ſi videbitur) a Principe, vel a Magiſtratu impetrare, vt, fide publica per ipſos interpoſita, liceat illis inde ad alia tuta loca intra certum præſtitutum tempus ſe conferre: quod quidem illis in gratiam Eccleſiæ eo minus grauate conceſſuros ſæculares Magiſtratus confidimus, quo maius Chriſtianorum hominum erga Eccleſiam domicilium Dei viuentis, ſtudium, & reuerentiam eſſe decet, quàm ethnicorum olim erga profana illa pudendorum numinum fana, & aras, mutaque adeo principum ſuorum ſimulacra; ad quæ tutum, ac ſalutare nulli non facinoroſo confugium fuiſſe conſtat. Ac nihilominus tamen laicis hominibus ius eſſe nolumus, ſua ipſorum auctoritate fretos, contra canonum iura, ſacris ex locis inuitum quemquam abſtrahere. Immo vero tales eccleſiaſticæ immunitatis violatores anathematis pœnæ ſubiicit præſens prouinciale concilium.

De reuerentia erga Cathedralem, ab aliis Eccleſiis adhibenda.

QVONIAM matri filia, natura ipſa duce, ac magiſtra, ſolet aſſurgere, reuerentiamque præſtare; mandatur omnibus, etiam regularibus,

gularibus, parochialium Eccleſiarum in vrbe curam gerentibus, vt hebdomadis ſanctæ feriæ quintæ mane, idoneo tempore, ante quam de ſacriſtia prodeat Epiſcopus, eo, quem res, tempuſque poſtulat, ornatu, conueniāt in Eccleſiam cathedralem; vt ex omni numero liceat Epiſcopo deligere, quot quot erunt ad Chriſmatis, & oleorum ſanctorum confectionem neceſſarij: eadem item hora, Sabbato ſancto, recedant eodem, ad fontem conſecrandum, Prophetiaſque de more recitandas: vtque eo die tantiſper ipſorum Campanæ, & etim quorumcunque regularium, tam in Ciuitate, quàm in diœceſi, conticeſcant, dum earum, quæ ſunt in ipſa cathedrali Eccleſia, & plebaniis, ſonus fuerit exauditus: nec non omnes, qui de iure, vel de conſuetudine tenentur, ad Litanias maiores ſancti Marci, ac minores Rogationum præſto ſint. Qui vero per id tempus ſeparatim ſupplicationes habere conſueuerunt, ſuum poterunt inſtitutum ſeruare. Die item feſto tituli cathedralis Eccleſiæ adſint omnes in eadem Eccleſia titulum habentes, vel eorum munus ſuſtinentes, ad primas Veſperas, & ad Miſſam ſollemnem decantandam; vtque eorum quiſque ſacrum faciat. Omnes item Eccleſiæ ſæculares, collegium etiam habentes, in pulſandis Campanis id obſeruabunt, vt nemo Campanas ad horas canonicas pulſare prius audeat, quàm in Cathedrali pulſentur; niſi in die feſto tituli earundem Eccleſiarum.

De Cathedrali Eccleſia vacante.

CVM Cathedralis Eccleſiæ Paſtor diem ſuum obierit; in ipſa Cathedrali, ſollemnes ei fiant exequiæ: in aliis autem totius diœceſis parochialibus, vno die ab omnibus Miſſę celebrentur, ad Epiſcopi qui defunctus eſt, animæ expiationem: poſtridie eius diei, ad Spiritus ſancti gratiam impetrandam: adhibitiſque proceſſionibus, fundantur preces ad Dominum; vt orbatæ Eccleſiæ Paſtorem prouidere dignetur, qui commiſſum fidei ſuæ gregem, non verbo tantum ſed opere quoque, & exemplo iuuare poſſit, quod idem a Coepiſcopis fieri, a die nunc ų mortis præſens Synodus optat. Capitulum autem Vicarium, & œconomum ex præſcripto Concilij Tridentini deligat; qui inter cetera curam ſuſcipiat, ne quid eorum, quæ ad menſam ſpectant, ex ſcripturis præſertim, depereat.

De diligentia adhibenda in eius vita, moribus, & doctrina perueſtigandis, qui ſit ad Cathedralem promouendus

EX Tridentini concilij decreto, quod eſt cap. 1. ſeſs. 24. de promouendis ad Cathedrales, huiuſmodi ratio traditur. Iudex ab Apoſtolica ſede huiuſmodi muneri præpoſitus ex teſtibus per ipſum adhibitis, non autem oblatis, nec ab eo, de quo quæritur, productis; quorum egregia fides, & integritas ſpectata ſit, quorumque idem conſuetudine, intra quinque ſaltem proximos annos vſus fuerit; delato ipſi iureiurando, quærat de eius viri natalibus, ætate; quibus parentibus ortus; à quibus, quo loco, quaue ratione ſit educatus; quomodo acta per quinque, aut minimum tres annos illos vita; num aliqua ſit vmquam infamia aſperſus, aut cuiuſquam criminis, maxime vero hæreſis nomine inciderit in ſuſpicionem; num de eo poſtulatus; num conuictus profeſſione culpæ pœnam ſit deprecatus; ſacros ne ordines ante ſex menſes ſumpſerit; num quæ ſit in eius corpore deformitas; quæ animi bona; quibus maxime virtutibus excellat; ſit ne regularis; an vmquam ab Eccleſia Catholica defecerit; num ſit a ſuis ſuperioribus approbatus; vniuerſe, an aliquo vel animi, vel corporis vitio morboue laboret, quod ei officiat, quo minus ad epiſcopatum promouendus eſſe videatur. Ad doctrinam vero quod attinet; etiam ſi publicis in gymnaſiis Iuris Canonici conſultus, Theologus, aut licentiatus eſſet declaratus; non tamen omittat Epiſcopus (aliquot propoſitis in iure Canonico, ſacra ſcriptura, ſeu Theologia problematibus; quantum ſatis erit ad meditandum ſpatij dato, idoneis, qui ei præſint examini, viris adhibitis) de illo periculum facere: quæque de illo repererit, ſincere, ac bona fide litteris conſignata ad ſanctam ſedem omnia proferenda curabit.

De Epiſcopis, & eorum vita, & moribus.

EPISCOPVS vitam ſuam ſic inſtituat; vt nihil ſit in ea omnino, quod poßit reprehendi familiam vero ſic in officio contineat, omnem; vt ſe, ſuoſque tamquam exemplar aliquod abſolutum proponat ad imitandum; vnde ſalubria recte viuendi a ceteris exem-

pla

pla petantur. In diæceſi ſua domi palam, ſine talari veſte, & ſuperhumerali, ſiue mozzetta; & in Eccleſia, & in publico ſine linea veſte, quam rochetum appellant, non conſpiciatur. Sit cultus eius reliquus ac ſupellex eius omnis nitida, ſimplex, & elegans: familia magis doctrina, moribus, religione, & pietatè quàm numero ſpectabilis: frugalis menſa, ſuauiſſima ſacrorum librorum lectione condita; benedictione, gratiarumque actione lauta, & opipara. Ipſe feſtis omnibus diebus (niſi quid impediat) in Eccleſia diuinis officiis cum Capitulo ſuo interſit Sollemnioribus autem, pontificia munia obeat ipſe: ſeque in omnibus talem præbeat, vt gregem verbo, opere, & exemplo, (quemadmodum debet) paſcat, & regat, vſquequaque ſeueritatem manſuetudine temperando; cum Paſtor ſit non ad ſuam ipſius, ſed populi commoditatem & vtilitatem conſtitutus. Numquam vero non meminerit, ſe cęteris vitæ ſanctitatè, morumque honeſtatè prælucere debere, atque illis virtutibus in primis, quæ ſunt ab Apoſtolo Epiſcopis propoſitæ, ad complectendum. Libertatem Eccleſiæ cum dignitate, ſummo ſtudio, ſummàque diligentia, & omni ope tueri contendat. Quas aliis leges tulerit, omnium ipſe primus obſeruet: ne, quo nominè male audiebant Phariſæi, in ipſum id conferri iure queat: alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea mouere. Diæceſanam Synodum quotannis conuocare ne omittat; nec quidquam omnino, ex reliquis Tridentini Concilij præceptis, quod non impleat; maxime vero ea, quæ pertinent, tum ad perpetuam in diæceſi ſua manſionem, tum ad illam inuiſendam: quorum ſi quid neglexerit; in eo quod proxime erit habendum prouinciali Concilio, rationem ſit redditurus. Populum frequenter per ſe ipſe quàm poterit optime doceat, inſtituat & cohortetur, certo ſciens Paſtoris vocem quamlibet ab ouibus agnitam, & auidis auribus exceptam, momenti multo plus ad fructus ex iis vberes percipiendos, quàm alieni cuiuſuis, vel doctiſſimi, & in concionando, ſuadendoque exercitatiſſimi Prædicatoris habituram. Qui vero ſub Epiſcoporum ſunt poteſtate, præſertim, ſub capitulo Cathedralium vnum corpus, cuius caput eſt Epiſcopus, conſtituentium, ſuos Epiſcopos patrum, & Paſtorum inſtar colant & obſeruent, iiſque hilare dicto ſint audientes; nihilque prætermittant quod ſpectet ad illorum dignitatem tuendam, & amplificandam: rurſus nihil committant, vnde vel minima poſſit eis fieri diminutio. At vero Principes, Magiſtratuſque ſeculares, &c. atque etiã hortatur præſens Synodus, vt Epiſcopos ipſos, quibus a Deo concrediti ſunt, tamquam patres & paſtores pro eius, quam ſuſtinent perſonæ præſtantia, venerentur; nec quidquam omnino patiantur de illorum

dignι-

dignitate, & anctoritate a rogari, ne Dei viuentis ſubeant vltionem; a quo dictum fuiſſe conſtat: Qui vos ſpernit, me ſpernit: Itemque interminantis: Ne quis tangat Chriſtos meos.

De Beneficiorum collatione, et examine promouendorum ad Parochiales.

IN Parochialium collatione agantur omnia ex præſcripto Concilij Tridentini. obſeruetur item Apoſtolica Bulla Romæ data 15. Calend. Aprilis 1566. Verum collatores omnes admonet præſens Synodus, prætereaque ex conceſſa ſibi a Concilio Tridentino cap. 10. ſeß. 24. facultate decernit, vt, præter alia ab eodem Concilio ex ſacris conſtitutionibus ſancita, penituſque obſeruanda per edictum publicum cathedralis, & vacantis Eccleſiæ valuis (ad clandeſtinas denunciationes euitandas, quas falſo rite ſe feciſſe apparitores aliquando retulerunt) affigendum, & in eiſdem Eccleſijs inter Miſſarum ſollemnia, cum frequentiſſima conuenit multitudo, promulgandum, ad certum diem prouidendi, ſeu examinandi omnes adeſſe iubeantur; atque intra primos octo dies ſua nomina, cognomina, ætates, patrias, parentes. & loca, in quibus triennium illud ſint commorati, apud ſcribam profiteantur; a quo illa omnia referantur in acta. præterea ſi ſint externi, ſuorum ordinum teſtimonia, cum litteris dimiſſorijs, exhibeant, ad hoc, vt ij, qui vna cum Epiſcopo examini præſunt, interim de omnibus edoceri poßint; factoque doctrinæ periculo, conſtituta die, propoſito ſibi ante oculos Dei timore, ſtatim de vno quoque quid ſentiant, liberis ſuffragiis ſecretis, vel apertis, prout Ordinario videbitur, conteſtentur; vt tum demum Epiſcopus omnium maxime idoneum repertum queat deligere. Quo quidem in delectu habendo ita ſe geret Epiſcopus: vt ceteris paribus, eum qui ſit ex diœceſi, & parochia, externo, atque alieno anteponat. Caueant autem Ordinarij, ne carnis affectu, vel humana gratia adducti minus idoneo poſthabeant illum, qui magis ſit idoneus, in grauiſſimum animarum ſuarum detrimentum. Beneficiorum ceſſiones non aliter Epiſcopus admittat. quam quomodo per litteras Apoſtolicas Romæ datas Cal. Aprilis. 1568. eſt permiſſum. reſignanteſque admonebit; necnon eos. qui cuiuſuis beneficij nominandi, & præſentandi ius habent; ac nominatos, & præſentatos, de omnibus, quæ extant in litteris Apoſtolicis Romæ Calend. Iunij. 1569. datis in materia confidentiarum.

De vita, & moribus Clericorum.

MEMINERINT omnes Clerici, nulla re magis ad pietatem, & religionem laicos incitari, vel in fraudem impietatis illici; quàm bonis maliſq; eorundem clêricorum moribus; quorum ad exemplum ceteri plerumque ſeſe conformant: quodque dictum eſt: Sancti eſtote; quia & ego ſanctus ſum. Item illud: Nemini dantes vllam offenſionem; vt non vituperetur miniſterium veſtrum. Quapropter omnes eccleſiaſticæ perſonæ, quocunque ſint in ſtatus, & dignitatis gradu collocatæ, cuiuſuis beneficij onus ſuſtinentes, vel ſacris ordinibus cohoneſtatæ, Clerici item omnes, etiam aduenæ, qui clericorum priuilegio vti velint; talares in vrbe veſtes, nec non in caſtellis, atque opidis; ruri vero. & in itinere dum erunt, aliquanto breuiores, nigri tamen, aut alterius honeſti coloris, arbitrio Ordinarij, geſtent. At vero ſericis veſtibus ne vtantur. Quadrato birreto coopertum caput habeant omnes: omiſſo pileo; quem non, niſi cogat neceßitas, geſtare licet: cuius quidem pilei forma ſimplex ſit, & depreſſa; non ſęculari, aut militari more. Sint ijdem raſo ita vertice, vt appareat: qua in re is erit tenendus modus, qui cuiuſque ordinem decebit. Superioris labri barbam habeant attonſam; ne illa longior ſacra facientibus officiat. Caligæ non ſint hoc nouo & militari more ſinuoſæ; ne ve, vt folles, inflatæ, aut diſſectæ; ne ve calcei, crepidæue, niſi pedum tumor, aut vitium id poſtulet: tunc enim eæ permittantur inciſuræ, quæ ſint ad valetudinem, non ad inanem ſpeciem, & oſtentationem. Interulæ ſiue camiſiæ, neque ad collum, neque ad manus corrugato, aut vermiculato, acu ue picto limbo obductæ, aut ita artificioſe elaborato, vt luxum præ ſe ferant. Itemque ſudariola, ſiue ad emungendas nares linteola, neque ſint odoribus delibuta. Torquibus, & monilibus, armilliſue ne vtantur. Annulum vero, cumque vnicum, iis tantum geſtare ſit ius, qui ſint aliquo dignitatis, honoriſue gradu præditi, quorum in numero cathedralis Eccleſiæ Canonici ſunt habendi. Ita tamen, vt illum ſacrum facientes deponant: eſt enim id Epiſcoporum tantum, epiſcopalibuſue ornamentis vtentium. Ad equos mulaſue exornandas, inauratum, argentoue illitum quod ſit, aut ſericum, clerici nihil prorſus adhibeant: nec arma, nec tela, pręterquam iter per loca ſuſpecta facientes, ferant. Sit eorum inceſſus ad modeſtiam, grauitatemque compoſitus. in oculis cum decoro coniunctus pudor eluceat. Sacerdotes, &

clerici

clerici omnes, tam cum ſacramenta adminiſtrant, quàm cum diuinis interſunt officiis, & proceſſionibus publicis, ac funeralibus, ſuperpelliceis ſint induti. In Eccleſiarum domibus & clauſtris, ſi fieri poteſt, habitent ad vſum miniſtrorum Eccleſiæ conſtructis; in quibus ne conſanguineæ quidem feminæ commorentur. Immo vero ne iis quidem in domibus, per quas in Eccleſiam vel aditus patet, vel adſpectus; etiam ſi cum viris ſuis habitarent: niſi id ab Ordinariis impetrarint; quod ipſius litterarum teſtimonio appareat. alibi vero habitantes clerici abſtineant contubernio ſuſpectarum mulierum. Suſpectarum vero nomine cenſendæ ſunt omnes, earumque conſuetudine clericis Synodus hæc interdicit; præterquam quas domi habere fuerit illis ab Ordinario, & ex ſcripto conceſſum: quæ nullo modo extra ſingulorum, quibus deſeruiunt, habitationem vagentur, & præſertim per clauſtra: neque ſimul conueniant ad conuenticula, aut confabulationes faciendas: neque extraneas, aliaſque non approbatas mulieres in domibus clericorum, quibus deſeruiunt, admittant. Clerici poſt horam primam noctu ne vagentur. neue foris ſint, niſi iuſta de cauſſa: clericali tamen interim ornatu, lumenque præ ſe ferentes. nocturnis iidem cantilenis prorſus abſtineant, nec ad noctu cantillantes aggregentur, ac ne momentum quidem temporis cum iis conſiſtant. Ad cauponas, niſi in itinere dum ſunt, omnino ne accedant. publica laicorum conuiuia deuitent, quoad fieri poterit: quibus ſi propinquitas, aliaue probabilis cauſſa coget eos intereſſe; meminerint modeſtiam & decorum ſeruare. Interuenientibuſque ludicrarum artium magiſtris, ſpectaculiſue aut profanis comœdiis, ſtatim ſe ſubducant. propinent autem interim nemini. Iidem, priuſquam accumbant, menſam, de more, benedicant. a menſa non ſurgant abſque gratiarum actione: abiecta prorſus inepta, & praua verecundia, quæ clericos a bonis operibus non numquam deterrere conſueuit. Alea omni talorum, ac teſſerarum, nec non pictarum chartularum omnibuſque aliis luſibus, quibus eſt iis a ſacris Canonibus interdictum, choreis quoque abſtineant: ac ne ludentes quidem alios, choreaſue ducentes ſpectent. Laruas ne induant. mimos, Comœdias, Tragœdias, circulatores, præſtigias, ludicraque armorum certamina ne ſpectent. Venationes contra ſacros Canones ne exerceant. Caneſque, & aues, præſertim venaticas, ne alant. Fora, locaque illa, quo laici ſolent ad negociationes, confabulationes, ludos, otioſaque alia conuenire, ne frequentent. neque vero adeant, niſi cum res aliqua, tempuſque poſtulet. Aliena prędia lucri cauſſa ad iudicium Ordinarij ne conducant. Cauſſarum procuratoris, aduocatiue officio ne fungantur, niſi in caſibus a iure permiſſis. Qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt,

Medici, Chirurgiue artem ne exerceant. Ad ſummum ſæcularibus omnibus abſtineant negotiis, quæ religioſæ vitæ moram, impedimentum & decus afferre queant. Facinoroſi hominis, contentioſi, blaſphemi, procacis aliqua ignominia publice notati, mulierumque famoſarum conſuetudine ne vtantur; ad ſceleris ſcilicet contagionem, ſuſpicionemq; ipſam etiã euitandam. Ab omni conuicio, obtrectatione, obſcæno ſcurriliq. verbo caueant: pariterq. ab omni iureiurando; niſi cum iudex competens, vel alius, de competentis licentia, ab eo exigat, aliaue cogat neceſſaria cauſſa. Pro fan s in rebus ſcribarum ne fungantur officio; tutores, curatoreſue ne ſint; niſi cum iura permittunt: nec vlla in re, quę clericalem ordinem dehoneſtet, operam ſuam laico cuiquam locent. Feminarum ne ſint aſſeclæ; nec eas legere, ſcribere, aut canere doceant, ſine licentia. Manibus quidem ſuis ſi libeat opus faciant aliquod, modo laudabile, ad victum ſuppeditãdum, non ad auaritiam. Quod à piis officiis ſupereſt temporis, in diuinarũ, ſacrarumq. litterarum ſtudiis ponant; ne terribilem audiant vocem Domini dicentis, Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne ſacerdotio mihi fungaris. Conciones, caſuumue conſcientiæ ad religionem pertinẽtes lectiones alias frequentent. habeantq. in ſacris conſtituti, preter Breuiarium, ſacra ſaltem Biblia, Catechiſmum, Concilium Tridentinum, prouincialeſque, necnon Epiſcopi ſui Synodales conſtitutiones. Parochi autẽ, & confeſſarii etiam ſummam aliquam, & homeliarium, & librum quoque illum, qui Sacerdotale inſcriptus eſt, ſi fieri poteſt. Penſionarii peces Virginis; Canonicas autem horas beneficiis pręditi, in ſacris item conſtituti omnes, ſingulis diebus, ſuo ſibi, & opportuno tempore rite, pieque recitent, non aliud interim agendo, ſed omni tum corporis, tum animi attentione pſallentes: maledictus enim, qui facit opus Dei negligenter. Frequentent autem Sacerdotes omnes, quacunque ſint dignitate præditi, item Diaconi, & Subdiaconi ſanctę Euchariſtiæ ſacramenti ſumptionem, iuxta decreta ſancti Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 13. & 14. Clericos vero ceteros hortatur præſens Synodus, vt ſemel in menſe, & ſollemnioribus feſtis diebus idem ſacramentum ſumant, ac beatæ Virginis officium quotidie recitent. feſtis autem diebus in Eccleſiis, quibus adſcripti reperientur, quemadmodum Diaconi & Subdiaconi, ſuis ordinibus congruentia munia obibunt. Optat pariter hæc Synodus, vt Sacerdotes frequenter probato confeſſario ſua peccata confiteantur, tametſi peccati mortalis ſibi conſcii non ſint. In conuiuiis, ad quæ feſto Eccleſiarum ſuarum die Sacerdotes alios adhibere parochi conſueuerunt, tam in epulis, quam in poculis & ſermonibus, qui clericorum inſtituto conueniat, modus ſeruetur. procul abſit omnis

diſſolutio,

diſſolutio, ſtultiloquium, ſcurrilitas cantus profani. detur potius alicui negotium, dum ceteri accumbunt, de ſancti illius vita, cui illa eſt Eccleſia dicata, hiſtoriam interim recitandi, aliudue quidpiam ex aliquo pio ac bonę frugis libello.

De Regularibus, & Monialibus.

CVRENT etiam Epiſcopi, vt in ſuis Ciuitatibus, & diœceſibus, Monachi & alij Regulares decreta ſeſſ. 25. Concilij Tridentini ſeruent. Ad monialium monaſteria non accedant, niſi cõfeſſarius ſit, aut eius monaſterij prælatus. Regulares, in quorum monaſterijs ſeu domibus imminet animarum cura perſonarum ſæculariũ, in ijs quæ ad dictam curam, & ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, ſubiecti ſint viſitationi, & correctioni Ordinariorum. qui ſi in ſuo officio, ſacramentorum adminiſtratione excommunicationum publicatione, ſepulturis. matrimonijs, benedictionibus diligenter, & rite quæ ſibi incumbunt, non curarint efficere, & ipſorum Ordinariorũ monitionibus non paruerint, amoueri poßint. & alij etiam ad nutum amouibiles deputari de eorumdem Ordinariorũ conſenſu, ac prevuio examine per eum aut eius Vicarium faciendo: ijs exceptis qui e concilij Trid. decreto, ad hæc non tenentur. Si quis etiam Regularis auſus fuerit abſoluere de facto a caſibus ſanctæ ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, vel loci Ordinario; ipſo facto ſuſpenſus a diuinorum adminiſtratione exiſtat: qui ſi ante abſolutionem celebrauerit uel ſacramẽta adminiſtrauerit, & diuinis ſe immiſcuerit; nouerit ſe factum eſſe irregularem. Sancta Trid Synodus adeo perfecte monialium reformationem complexa eſt, vt nihil fere eius decretis addi poſſit: & nobiles viri, qui in hac Ciuitate, ex conceßione Apoſtolica, earum gubernationi præpoſiti ſunt, tantã diligentiam adhibent in eis in ſuſcepta viuendi ratione conſeruandis, vt Dei gratia nullum, vel minimum, ſcandalum in eis oriatur. Vt tamen incommodis quæ futuris temporibus occurrere poſſent prouideatur, pręcipit hoc prouinciale Concilium omnibus huius prouinciæ Epiſcopis vt dent operam & omnibus quibus poßunt, modis elaborent, vt inuiolabiliter in monaſterijs ſuarum Ciuitatum, & diœceſum ſibi ſubiectis obſeruentur omnia, & ſingula Concilij Tridentini decreta ad Moniales ſpectantia. In primiſque quo ad egreßionem monialium, & ingreſſionem ſęcularium in monaſterium. præcipiant, etiam ſub pœnis & cenſuris, vt nemo, etiam clericus, aut ſacerdos, abſque licentia Ordinarij in ſcriptis habi-

ta,

ta, ad earum colloquium accedere poßit; exceptis iis, qui ſunt intra ſecundum affinitatis, vel conſanguinitatis gradum cum aliqua moniali coniuncti, iuxta ius Canonicum: eo enim modo commercia ſæcularium tollent, quæ magno religioſis ſolent eſſe impedimento. Efficiant etiam, vt nullo pacto catuli penes moniales teneantur. Dent operam, vt ſæcularium, etiam clericorum, & ſacerdotum, muſicæ in earum Eccleſiis non admittantur. Prouideant, vt cum effectu, iuxta eiuſdem Concilij decreta, præter confeſſores ordinarios, concedantur eis, ſine aliqua fraude, vel fictione, bis, vel ter ſingulo anno, alij ſacerdotes ſæculares, vel regulares, qui earum confeſſiones audiant: diligenterque animaduertant, an regulares, qui monialium curam habent, id faciant: &, illis negligentibus, ipſi Ordinarij eoſdem confeſſores deputent; coram quibus teneantur ſingulæ moniales ſe præſentare, & aliquantiſper ante eos commorentur. Qui confeſſores, tam ordinarij, quàm extraordinarij, confeſſiones audiant in loco conſpicuo in Eccleſia, &, qui alibi ſunt ad audiendum eaſdem confeſſiones deputati loci, tollantur. Cum vocati fuerint Epiſcopi ad examen alicuius puellæ religionem ingreſſuræ, aut profeßionem emiſſuræ; prius parentes, vel propinquos, qui eius curam habent, admoneant, omnes excommunicationi ſubiacere, qui inuitam compellunt religionem ingredi, vel profiteri. Deinde educationis cauſſa nulla in monaſteriis recipiatur, niſi in illis, quorum conſtitutiones non repugnant huic actui, & habita prius ſuperioris licentia in ſcriptis, cum aſſenſu Abbatiſſæ, & aliarum monialium. Ac ſola ſine ancillis ingrediatur, & ſeruet clauſuram, ac reliquam viuendi rationem, quam ipſæ moniales obſeruant, & ſi inde ſemel exierit, numquam poſtea in idem monaſterium redire poßit. Ita vero receptæ ſi habitum volent ſumere, prius ab Epiſcopo interrogabuntur, vt in aliis ſeruatur. Tàm autem in aſſumptione habitus, quàm in profeſſione, aut alio quouis tempore, aut cauſſa, nullis ſæcularium etiam nouitiæ, vel aliarum monialium propinquis bellaria dentur; neque earum rerum occaſione conuiuia fiant, aut comeſſationes. præſertim vero in Eccleſiis, & ad crates, vbicunque ſint, id fieri prohibetur. Vt autem paupertatis votum apud eas incorruptè ſeruetur; efficiant, vt pecuniæ, quæ ad ſingulas, quauis occaſione, vel cauſſa, perueniant, Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſæ, conſignentur; quæ in arca tribus clauibus munita reponantur, & in libro, a qua qualibet pecuniarum ſumma data ſit, deſcribatur: deinde, adueniente neceſſitate alicuius monialis, cognita cauſſa, a præfecta monaſterij ex pecunis ab illa traditis tantum ei præbeatur, quantum ſatis ſit ad id comparandum, quo indigere viſa fuerit: idque detrahatur ab eius credito. Si tamen aliquando contigerit, vt monaſte-

naſterium illis omnibus ſic, vt præfertur, depoſitis nummis indigeat; poſſint expendi in eius neceſſitatem; ita tamen, vt monaſterium teneatur poſtea neceßitatibus earum prouidere, iuxta ratam pecuniarum ab illis depoſitarum. Clauem autem vnam illius arcæ teneat præfecta, alteram monialis illa, quæ a monialibus fuerit electa, tertiam procuratrix monaſterij. Ancillæ, quæ monialibus aliquibus ſeruiunt, de cetero prohibeantur; niſi communes ſint, & aliis etiam, quæ in monaſterio ſunt, vt præfectæ videbitur, inſeruiant; & interim, ſi ſeculares ſunt, clauſuram ſeruent. Ex bonis, quæ dantur pro ingreſſu monaſterij, ſaltem pars quincta in bonis ſtabilibus, & immobilibus, vel in locis comperarum ſancti Georgij implicetur; idque omne monaſterij nomine acquiratur: quod vt omnino Epiſcopi, & Magiſtratus monialibus præpoſiti in monaſteriis ſibi, vt ſupra, ſubiectis ſeruari faciant, prouincialis Synodus precipit. Omnia & ſingula ſupradicta ad regulares, & moniales ſpectantia vt ſinguli Epiſcopi ſeruari faciant, mandat idem Concilium prouinciale: eoſque monet, ſi in eis negligentes fuerint, rationem in futuro Concilio ſe[illegible]re reddituros, & coram Dei tribunali, pro his omnibus ſcandalis pœnam daturos, quæ eorum incuria acciderint. Nec non præcipit omnibus, & ſingulis tam regularibus, quam ſæcularibus, & laicis, ſub excommunicationis pœna, & aliis arbitrariis, vt prædictas ſeruent conſtitutiones, nec eis vllo modo, aut prætextu contraueniant. Quod vero attinet ad monaſteria in Ciuitate Genuen. & ſuburbiis exiſtentia; in qua adeſt officium, quod cum Reuerendiß. Archiepiſcopo auctoritatem habet, ex ſedis Apoſtolicę ſpeciali priuilegio; relinquit eidem officio omnimodam, & integram reſolutionem, & deliberationem, quam habet.

De Reſidentia.

QVÆ de reſidentia cum a ſacris Canonibus, tum a ſacro Tridentino Concilio ſeß. 6. cap. 1. & 2. & ſeß. 23. cap. 1. decreta ſunt, ea prorſus vt obſeruentur, curabunt Ordinarij, rationem neglectorum in proximo prouinciali Concilio reddituri, tam de ſe, quam de ceteris omnibus, quę ſunt in ipſorum ditione, eccleſiaſticis perſonis. quæ quidem decreta iuxta eiuſdem Concilij preſcriptum, ſancta Synodus poſt finem præſentis capituli publicari, & inſeri mandauit. Canonicorum autem Eccleſiarum Ciuitatum, & inſignium opidorum prauam conſuetudinem tollentes, qui tametſi Eccleſiæ nul-

lam dent operam. certos tamen fructus, ſiue præbendam, quòd ea ſit exigua, percipere ſibi licere arbitrantur, cum præſertim nullas percipiant quotidianas diſtributiones; illis mandant, vt ſingulo hebdomadis ſingulas Miſſas, per ſe vel per alium æque idoneum in eiſdem Eccleſiis celebrent, vltra tamen ſeruitia, quæ hactenus prædictis Eccleſiis impendere conſueuerunt. Quod ſi per ſex menſes totos intermiſerint; dimidia fructuum dictæ præbendæ parte multentur. ſi vero per annum ceſſarint; fructus omnes amittant. creſcente vero contumacia, Canonicatu etiam huiuſmodi priuentur, ac perceptos fructus a prima ceſſatione reſtituant. Dignitas conferatur in aliquem eiuſdem Eccleſiæ Capellanum, vel alterum quempiam Sacerdotem, qui ea ipſa in Eccleſia eiuſmodi munia non grauetur obire, quas tamen pœnas arbitrio ſuo moderari poſſint Epiſcopi. Quòd ſi nullus reperietur, qui, propter fructuum tenuitatem, inſeruire velit; tum demum onus, habita fructuum ratione, Epiſcopus imponat. Qui curam alicuius ſuſcepit Eccleſiæ, aliquoue in loco dicendæ Miſſæ ſe obſtrinxit, onus aliud ne ſuſcipiat, vnde ei neceſſe ſit ſuam Eccleſiam ſuumue ſacellum mercenarij curæ committere dum ipſe alteri non ſuæ in opera danda eſt occupatus.

Decretum Concilij Tridentini de Reſidentia, ſub Paulo III.

EADEM ſacroſancta Synodus, eiſdem præſidentibus Apoſtolicæ ſedis legatis ad reſtituendam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, deprauatoſque in clero, & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens; ab iis, qui maioribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Confidens itaque per Domini, ac Dei noſtri miſericordiam, prouidamque ipſius Dei in terris vicarij ſollertiam, futurum, vt ad Eccleſiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, a puerilibus exordiis, vſque ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur; omnes Patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque, quouis nomine, ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, vt attendentes ſibi & vniuerſo gregi, in quo Spiritusſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus la-

borent,

borent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ouium ſuarum quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo iudice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: cum certiſsimum ſit non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur qui propriæ ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac diuinis humana præferentes in diuerſis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſollicitudine, ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos; placuit ſacroſanctę Synodo, antiquos canones, qui temporum, atque hominum iniuria pæne in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos innouare; quemadmodum virtute præſentis decreti innouat: ac vlterius pro firmiori eorundem obſeruantia ac reformandis in Eccleſia moribus, in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere, atque ſancire Si quis a Patriarchali, Primatiali Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia ſibi quocunque titulo, cauſſa nomine, ſeu iure commiſſa; quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat; legitimo impedimento, ſeu iuſtis, & rationabilibus cauſsis ceſſantibus; ſex menſibus continuis, extra ſuam diæceſim morando, abſuerit; quartę partis fructuum vnius anni fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum pænam ipſo iure incurrat. Quòd ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit; aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, vt ſeueriori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubiiciantur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum vero abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pæna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per litteras, ſeu nuncium, Romano pontifici denunciare teneatur, qui in ipſos abſentes, prout eu uſque maior, aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ ſedis auctoritate animaduertere, & Eccleſiis ipſis de paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire. Epiſcopis inferiores quæuis beneficia eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure, ſiue conſuetudine exigentia, in titulum ſiue commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmento locorum, & perſonarum qualitate penſata, expedire videbitur, opportunis iuris remediis reſidere cogantur. Nullique priuilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in

abſentia percipiendis, ſuffragentur. Indulgentiis vero, & diſpenſationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus cauſſis tantum conceſſis, & coram Ordinario legitime probandis in ſuo robore permanſuris. Quibus caſibus nihilominus officium ſit Epiſcoporum, tamquam in hac parte a ſede Apoſtolica delegatorum, prouidere, vt, per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur; nemini, quo ad hoc, priuilegio, ſeu exemptione quacunque ſuffragante.

Decretum Concilij Tridentini de Reſidentia, ſub Pio IIII.

CVM præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas cognoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munia paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt; ſacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio, & veritate paſcant, & regant. Ne vero ea, quæ de reſidentia ſancte, & vtiliter iam ante ſub fel: record: Paulo tertio ſancita fuerunt, in ſenſus a ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi, vigore illius decreti, quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque, quocunque nomine, ac titulo, præfectos, etiam ſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel diœceſi reſidentiam; vbi iniuncto ſibi officio defungi teneantur: neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſſis, & modis infraſcriptis. Nam cum chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obœdientia, ac euidens Eccleſiæ, vel Reipub. vtilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent, & exigant; Decernit eadem Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſſas a beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas: niſi cum abſentia inciderit, propter aliquod munus, & Reipub. officium Epiſcopatibus adiun-

adiunctum; cuius quoniam cauſſæ ſunt notoriæ. & interdum repentinæ; ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit. ad eundem tamen, cum Concilio prouinciali, ſpectabit iudicare de licentiis a ſe, vel a ſuffraganeo datis, & videre, ne quis eo iure abutatur & vt pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ouibus ſuis prouidendum; vt, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia, non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt; ſacroſancta Synodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſiue continuum, ſiue interruptum, extra prædictas cauſſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere, & haberi rationem, vt id æqua ex cauſſa fiat, & abſque vllo gregis detrimento; quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit; quam ſperat religioſam, & timoratam fore; cum Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oues debent, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali vllo pacto abſint; niſi epiſcopalia munia in ſua diœceſi eos alio vocent. Si quis autem (quod vtinam numquam eueniat) contra huius decreti diſpoſitionem abſuerit; ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas aduerſus non reſidentes ſub Paulo tertio impoſitas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum, pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut, ipſo ceſſante, cogi per ſuperiorem eccleſiaſticum, illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacunque conuentione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis, cuicunque collegio, aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino etiam quo ad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus, & aliis quibuſcunque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, vt, quandocunque eos, cauſſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit; Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione, relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſſa, non obtineant. Quòd ſi per edictum citati, etiam

non perſonaliter, contumaces fuerint; liberum eſſe vult Ordinariis per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vſque ad priuationem, compellere; nec exſecutionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuſcunque beneficij, pactione, ſtatuto, etiam iuramento, vel quacunque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſiue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremo tam decretum illud ſub Paulo tertio, quam hoc ipſum, in Conciliis prouincialibus, & Epiſcopalibus publicari ſancta Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeo ex Paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibuſque infigi; vt in poſterum (Deo iuuante) nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut conſuetudine aboleantur. Hucuſque Tridentini Concilij decreta.

De Parocho, & eius officio.

PAROCHIALEM adeptus Eccleſiam, quiue poſthac adipiſcetur, profeſſionem fidei prius faciat, quàm illius adeat poſſeſſionem: tum, intra duos menſes, rerum omnium ad eam Eccleſiam ſpectantium inuentarium conficiat, adhitis ad id Eccleſiarum curatoribus, ſiue Maſſariis; niſi aliter Ordinario videatur: qui, ne qua fraus admittatur, animaduertant: eiuſque ipſius inuentarij tria conſcribantur exempla; quorum vnum ipſe Parochus habeat, alterum Curatores, tertium apud Ordinarium deponatur. Curam per ſe quantum fieri poterit, aut per alium ſi legitime fuerit impeditus, idoneum, & ab Ordinario approbatum exerceat. Miſſam feſtis diebus omnibus celebret omnino, aut per alium faciat celebrari: reliquo autem anni tempore tam frequenter, vt, arbitrio Ordinarij, ſuo ſatisfaciat muneri: quòd ſi vnus ipſe ſatis non fuerit; ſocium ſibi, ſi beneficij fructus vtrique ſufficiant, adſciſcat ab Ordinario approbandum. Qui non reſidebunt, deferantur a ſuis plebanis ad eos, qui ſunt extra vrbem, Vicarios. Plebani vero ipſi a Rectoribus, qui ſubeerunt ei plebi. Illorum qui curandarum animarum onus ſuſtinent, nullus ab vna parochia tranſeat ad aliam, niſi de Ordinarij voluntate; qui ante licentiam non concedat, quàm is ſucceſſori ſuo baptizatorum, & matrimonio iunctorum nomina continentem librum, ceteraque ſcripta omnia, cum ornamentis, ac ſupellectilibus vniuerſis ad eam Eccleſiam ſpectantibus,

tradiderit. Qui vero, curæ onere in Vicarium ſuum reiecto, otioſos ſe ſpectatores magis, quàm Eccleſię ſuæ Rectores præbent; cogantur & ipſi, arbitrio Ordinarij, in ea ſe exercere, Miſſas celebrando, & alia quę ſuo muneri conueniunt, præſtando. Et quoniam Parochorum fortaſſe aliqui abſunt hoc tempore; idcirco, propoſito edicto, reuocent eos Epiſcopi, dato iis, qui ſunt in prouincia, menſium duorum, qui extra prouincię fines, ſex menſium ſpatio; intra quod neceſſario debeant omnes beneficia in titulum habentes, ſeu commendam obtinentes, ad beneficium ſuum reuertiſſe, ibique reſidere; conſtituta ei, qui neglexerit, pœna beneficij amittendi; cui erit obnoxius. Quo præſcripto tempore, ſi qui dicto audientes non fuerint; illos Ordinarius declaret ſtatutam pœnam ſubiiſſe; idque ſedis etiam Apoſtolicæ nomine, cuius in ea re delegati fungitur officio, vt conſtat per litteras Apoſtolicas datas Romæ octauo idus Iulij anno M. D. LXVIII. neque tamen ſi Ordinarij fuerint in ea re negligentes, continuo Parochi, qui, ſine licentia legitimaque cauſſa, tres menſes abſuerint, fructus ſuos facient: immo vero, ex forma Concilij Tridentini, ipſorum conſcientiæ onus eſt impoſitum in opera pia eiuſmodi fructus erogandi. Beneficiati curam habentes animarum, ſine licentia Ordinarij, non recedant. Parochus ruri habitans locum, vbi Ordinarius degit, petens, ſi vno die amplius in vrbe manſerit; poſtridie eius diei Ordinario ſe ſiſtat, ac deinceps quotidie id faciat, quamdiu fuerit in vrbe, ne per eam cauſſam doloſe ab Eccleſia ſua diutius abſit. Sit omnibus Parochis liber, in quem nomina referantur animarum (ſi fieri poterit) omnium, quotquot in cuiuſque parochia reperiantur, pro quibus ſunt ipſi rationem redditurі; eos, qui vel immigrabunt, vel naſcentur, adſcribendo; qui vero vel abierint, vel obierint, obliterando: ſic enim minus latere eos poterit, ſi quis omiſerit Paſchatis die ſumere Communionem. Sit item alter, in quem baptizati cuiuſque, parentum ipſius, Compatris, & Commatris, vna cum die, menſe, & anno collati baptiſmatis: Tertius, in quem matrimonio copulatorum, eorumque, quibus benedixerit: Quartus, in quem confirmati cuiuſque, vnaque Patrini, ſeu Matrinæ: Quinctus, in quem morientis cuiuſque, & quo anno, menſe, & die exceſſerit e vita. Atque eorum quidem exempla librorum ſub anni cuiuſque finem, poſt Natiuitatem Domini, apud Ordinarium deponantur, in Archiuo publico adſeruanda. Ad hæc Parochus omnes grammaticę magiſtros, pædagogos, & alios quamuis ſcientiā, & liberalem artem in parochia ſua docentes inquirat; præcipue vero eos, qui recenter acceſſerint, ex ignotis præſertim locis: neque illos permittat artes eiuſmodi exercere, ante factam fidei profeſſionem, iis ſeruatis, quæ ſuperius ſcripta ſunt, vbi de fide ca-

tholica

tholica agitur. Publicos fœneratores, notorios concubinarios, matrimonio, ſine legitima diſpenſatione, in quibus non licebat gradibus, ſcienter copulatos; coniuges item incontinentiæ ſuſpectos, qui non interpoſito Eccleſiæ iudicio, facto diuortio, ſeparatim viuant; eoſque omnes, qui Paſchate ab ipſo Parocho, aut, de eius licentia, ab alio Communionem non acceperint; ſancto altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe ne permittat: & interim eorum nomina deferat Ordinario, de cuius auctoritate prædicta omnia exſequetur. Præterea, ſi quis in eius parochia, quouis loco (demptis Eccleſiis regularium) celebret; inquirat, an id illi ſit ab Ordinario conceſſum: Item an vllæ ſint eccleſiaſticæ perſonæ non celebrantes, minuſue probatam vitam agentes: horumque omnium nomina deferat ad Ordinarium. Aquæ, Dominicis diebus omnibus, qua populus conſpergatur, benedicat: eamque mutet, in vaſe, eius rei cauſſa dedita opera, comparato: iiſdemque feſtis diebus meminerit populo ſignificare dies feſtos de præcepto, & ieiunia, quę ſequenti hebdomada celebrabuntur. Si quæ ſunt parœchiæ, quarum pars intra vrbem, opidumue mœnibus conſeptum incluſa ſit, parte altera excluſa; ne quo caſu noctu contingat, vt aliquem ſine ſacramentis miſerabilis mors opprimat; curent Epiſcopi, vt, vel ea pars alterius parochiæ fiat acceſſio, vel ex ea noua parochia conſtituatur, vel alia quauis ratione remedium adhibeatur. Pauperum peregrinorum, viduarum, orphanorum curam Parochi ſuſcipiant; eorumque, ſi poſſunt, ipſi per ſe; ſi minus, conquiſitis eleemoſinis, tenuitatem ſuſtentent. Reiiciant quæſtuarios. Mendicantes item validos, vel morbos ſimulantes, vel aliud quidpiam comminiſcentes; ad imprudentium, & imperitorum mentes eludendas, mendicare ne patiantur, in fraudem vere pauperum ſine fuco, & fallaciis eleemoſinam petentium. Qui tamen ipſi tantiſper eleemoſinam in Eccleſia petere, dum diuina celebrantur officia, intermittant. Ab iis autem, quos intra Paſchatis octauam in ſua parochia reperient (quales ſunt errones illi, qui Cingari vocantur, circulatores, mendicantes, & alij eiuſmodi) vagis hominibus ſciſcitabuntur, an, et a quo Euchariſtiam acceperint, præmiſſa rite ſacramentali confeſſione: & quos id minus feciſſe compererint, acriter increpent, & a parochia ſua expellant. Parochus in morbum ſi quis inciderit, proximus eum Parochus inuiſat, eique omnia caritatis officia præſtet, ipſius interim munia, ſi neceſſe fuerit, obeundo: aut, ingraueſcente morbo, faciat Ordinarium celeriter certiorem; vt mature rebus omnibus occurri poſſit; & ne eiuſdem forte morientis, vnaque Eccleſiæ (quod non ſemel antea factum fuiſſe conſtat) bona diripiantur. Mortuus autem dum ſepelietur, omnes eiuſdem plebis Sacerdotes ad funus conueniant: ac poſtridie eius diei, vel

cum

cum primum licuerit, ad animam ipſius expiandam, Miſſam celebrent, eamque Deo commendent; idque gratis faciant; niſi quid forte ab iis, ad quorum id funus curam ſpectat, vltro erit oblatum.

De Capellanis, ſeu Clericis beneficia ſine cura habentibus.

CLERICI omnes Altaria, Capellas, vel aliam quancunque Eccleſiam habentes ea omnia obeant munera, ad quæ tenentur, ex condicionibus in dotatione, fundatione, inſtitutione prædictorum beneficiorum appoſitis, vel ex conſuetudine, aut alias iuxta iuris diſpoſitionem. quæ ſi maiora videbuntur, quàm adiuncta eis eleemoſinæ ratio ferat; Diœceſanam Synodum adeant; quæ huiuſmodi medebitur incommodo, ad formam Concilij Tridentini. Ne quis vero ad fraudem pateat aditus, Capellanus ipſe dierum omnium ſigillatim, quibus Miſſam celebrabit, Parocho, in cuius Eccleſia ſita eſt eiuſmodi Capella, rationes edet; quas ille in tabulas referat: aliter non celebraſſe videbitur: eritque pœnæ obnoxius non celebranti conſtitutæ. Quo ad obtinentes Capellas, ſeu oratoria extra Eccleſiam parochialem, ſatagant Parochi edoceri, an in eis debita obeant munia: & quos negligentes inuenerint, deferant Ordinario. Quicunque non parochialia etiam beneficia, quibus reſidentia ſit opus, obtinent; reſidere cogantur: ſi id non fecerint; & fructibus & Eccleſia excidant, iuxta formam Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. Cum negotiationis genus omne clericum dedeceat; tum vero res eccleſiaſticas quæſtui habere, quam ſit turpe, quis non intelligit? Cum igitur ad aures noſtras peruenerit, nonnullos cupiditate adductos, capellanias, quàm poſſunt plurimas occupare; quibus aut nullum omnino miniſterium exhibent, aut ſi quod fortaſſe impertiunt, per mercenarium aliquem, eumque ſæpe quam poſſunt minimo conductum, muneris ſui parte aliqua vtcunque defunguntur; idcirco nefariam hanc conſuetudinem abrogans prouinciale Concilium ſtatuit, vt Capellaniis, quas quiſque ſibi addictas habet, vicariam alterius operam ſubſtituere nemini liceat, ſine licentia ab Ordinario in ſcriptis concedenda; qui in conſtituenda mercede non titularis voluntatem, ſed quod erit æquum, & bonum, ſpectabit. Sacerdotes nonnullos eſſe accepimus, qui, cum nulli Eccleſiæ ſint addicti, non verecundantur, dum Miſſæ ſollemnes, & veſpera celebrantur, interim cum nebulonibus, & perditis hominibus plateas circumire potius, quam cum aliis

clericis

clericis in aliqua Eccleſia debitarum Deo laudum penſum perſoluere; quorum eſt impudentia retundenda. Itaque & ij, & ſiqui alij denuo exſtiterint extra Eccleſias, tali tempore; ſi deprehenſi fuerint; Ordinarii arbitrio puniantur. Alienæ diœceſis Sacerdotes, qui noſtra in prouincia ſunt, nec addicta ſibi beneficia obtinent, intra duos menſes, ex quo promulgata hæc fuerint, ſi in vrbe, ac propinquis vrbi locis commorantur, in vnaquaque Cathedralium, Epiſcopo; reliqui vero extra vrbem Vicariis ſe ſiſtant iiſque ſuorum Ordinariorum, ſuorumque ordinum litteras recognoſcendas præbeant. Qui paullo prius acceſſerint, non admittantur niſi recentes adeo dimiſſorias oſtendant, vt nulla ſit ſuſpicio de acta ipſorum, poſt eas acceptas, minus honeſte, aliiſque in locis, vita. Quod ſi vetuſtiores videbuntur, vt puta duorum triumue menſium; niſi patriæ longinquitas, aut alia rationabilis cauſſa excuſet, non admittantur, niſi ſimul proferant Epiſcopi litteras, in cuius interim diœceſi ſe dicant eſſe commoratos, quæ ipſis bene actæ vitæ dent teſtimonium. Atque his ſeruatis omnibus, ſi nihil obſtare videbitur, iis concedatur licentia celebrandi, aliqua tamen certa in Eccleſia; a qua ad aliam ſe conferre non licebit; niſi facta ſibi ab Ordinario, ſi ſit in vrbe; ſi extra vrbem, a Vicariis poteſtate. Explorent tamen Ordinarij diligenter, & Vicarij præſertim, Parochique omnes, ne quid in dimiſſoriis inſit vitij: ſint ne corruptæ: an, qui profert, is vere ſit, de quo in illis fit mentio: præmoneant item hos ipſos, antequam admittant, vt in diœceſi commorentur ſacra facturi: tum animaduertant, an adnotatos in principio Miſſalis ritus obſeruent: quod ſi minus ab iis fieri repererint; breui aliquo ſpatio præſtituto, cogant ediſcere, & obſeruare: aliter reiiciantur, nec amplius tolerentur. Cum regularibus autem qui extra clauſtra degunt, non alia prorſus agant, quam cum externis, ratione.

De Capellis a Clericis obtinendis.

QVONIAM ferendum non eſt, vt in Eccleſiis vnus occupet plures Capellas, ac beneficia; cum ob id multi Eccleſiæ ſeruitiis addicti egeant; & valde periculoſum ſit animarum ſaluti; cum non poſſit illis annexas obligationes adimplere; ſtatuit Prouincialis Synodus, ex decreto ſacroſancti Concilij Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. vt in poſterum in Eccleſiis tam Ciuitatis, quam diœceſis, vnum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur: quod quidem

ſi ad

ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat; liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, pro qualitate obtinentis, cuius ratio habeatur, dummodo vtrunque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Mandat etiam præſens Synodus eiuſdem Concilij Trident. decretum ſeſſ.7.cap.13.obſeruari; vt præſentati, ſeu electi coram quibuſuis eccleſiaſticis perſonis, ad quęuis eccleſiaſtica beneficia non admittantur, neque confirmentur; non obſtante quouis priuilegio, aut conſuetudine; niſi prius a locorum Ordinariis fuerint examinati, & idonei reperti. Præcipit quoque, vt nemo quacunque auctoritate fretus audeat poſſeſſionem alicuius beneficij eccleſiaſtici ingredi, ſiue ſpiritualem, ſiue temporalem; niſi facta prius Ordinario notitia; ſub pœnis, a ſacris Canonibus expreſſe, vel tacite ſtatutis, & aliis arbitrio Ordinarij imponendis, & applicandis.

De proceſſionibus faciendis, & repræſentationibus tollendis.

AD Proceſſiones qui tenentur accedere, tum Sæculares clerici, tum Regulares, opportuno tempore adſint; ne Epiſcopo ſint in mora; quem magis deceat ab ipſis exſpectari. Si qui ad præſtitutam horam intra Eccleſiæ limina non fuerint, pro contumacibus habebuntur. In Eccleſia autem certo aliquo, & idoneo in loco tantiſper ſilentio conſiſtent, dum ſuus ſit cuique procedendi locus. ac tum quidem ordine ſuo bini procedent, ad grauitatem, & religionem compoſito, (vt decet) corporis geſtu, demiſſis oculis, ſermonibuſque omiſſis; verum (quod res poſcet) Hymnis, & orationibus, alternis vocibus ab imo pectore manantibus, decantandis intenti. Ab ordine vero prius recedat nemo, quàm ad eandem Eccleſiam reditum fuerit. Ex Eccleſiis collegiatis qui ſunt, cuncti ſimul vno agmine, & ad Eccleſiam Cathedralem ſe conferant, & ad ſuam reuertantur. Ad ſtatas Proceſſiones qui iure, quiue conſuetudine tenentur, vt Sanctiſſimi Corporis Domini noſtri. & Sancti Ioan. Baptiſtæ, ac Sebaſtiani, maiorum item, minorumque Litaniarum, & ſi quæ huiuſmodi certæ aliæ fuerint; præſto ſint omnes, etiam non vocati. Profanarum picturarum, ad luxum præſertim, & laſciuiam comparatarum, apparatus omnis remoueatur, ac ne in viis proponantur. Abſint etiam repræſentationes, aliaque omnia, quæ Proceſſiones poſſent retardare, vel hominum mentes a pietatis ſtudiis, ad illecebras, quibus aures, & oculi capiuntur, auocare. Crux a clerico præferatur induto ſuperpellicco, ſi fieri poteſt. Re-

præſentationes, luctuoſam Dominicæ Paßionis hiſtoriam & admirabiles, ac imitatione dignas ſanctorum actiones oculis, & auribus hominum, tamquam in ſcena, proponentes; quas, ad excitandos, ſenſuum ope, rudes imperitorum animos, antiquitas introduxerat, horum temporum malitia, & nequitia in prauos adeo detorſit vſus; vt ex eis pro lacrymis riſus, pro piis affectibus praua deſideria excitentur. Itaque ne res in deterius magis, magiſque labatur; eaſdem tam ſacris, quam profanis in locis, præſens Synodus prohibet; niſi ab Ordinario, cauſſa plene cognita, licentia in ſcriptis ſit obtenta.

De funerum exequiis, & ſepulturis.

FVNVS non, niſi orto ſole, procedere incipiat: ea tamen diei hora, vt ante ſolis occaſum ſit peractum, & maioris Miſſæ, vel Veſperarum ſollemnitatem ne impediat, aut interpellet. Clerus vniuerſus tam ſæcularis, quam regularis, ac Parochus in primis, vocatus ad funus, ſtatuta adſit hora, ac in parochialem Eccleſiam conueniat; niſi cum Canonici, & Capitulum Cathedralis Eccleſiæ funus ſint deducturi: tunc enim omnes vocati in Cathedralem conuenient; niſi aliud videbitur, ex cauſſa iuſta, Ordinario expedire. quo ex loco bini, ad præſcriptum proceſſionis exemplum, ad ædes mortui eo ordine pergant; vt Parochus, ex cuius ille erat parochia, cum ſuo clero, primum obtineat locum; ſoluſque faciat officium; tametſi Parochus alter adeſſet, in cuius Eccleſia mortuus eſſet ſepeliendus. Atque is tamen cum ſuperpelliceo, & ſtola, tametſi regularis eſſet, ſolus ad primi Parochi læuam erit, vſque ad Eccleſiæ ingreſſum: tunc enim a læua ad dexteram tranſiens principem locum teneat, & inchoatum abſoluat officium: quo perfecto, luminibus extinctis (quod prius non eſt faciendum; niſi cum ad monaſterium defertur: tunc enim ſatis fuerit ad Eccleſiam vſque proſequi.) eodem, quo proceſſerant, ordine. prælatam ſibi Crucem ſequentes ad ſuam ſe ſe quiſque referat Eccleſiam. Habeat vero Crucem deferens, cum omnibus clericis ſæcularibus, ſuperpelliceum; nec aliter in funus prodeat. Pro ſepulturæ loco, ſiue intra, ſiue extra Eccleſiam, nihil exigatur. Pias autem, religioſaſque conſuetudines mortui heredes vt obſeruent, tam in adhibendis debitis funeri luminibus, quam clero tradendis aliiſque omnibus in rebus, hortabitur Epiſcopus: recuſantes coget; ſine vllo tamen ſtrepitu iudiciali. Statuet autem vnuſquiſque Ordinarius in ſua diœceſi, quæ nam ſint iſtæ laudabiles conſue-

ſuetudines in ſingulis Eccleſiis; eaſque in tabella propoſita declaratas in vna quaque Eccleſia affigi curabit. Candelæ, cerei, & cetera luminaria, funale item, quod in pheretro iacenti mortuo ſuperimponi conſueuit, cum iam Deo ſint oblata, non debent heredi reſtitui: verum parochiali, vel iis clericis, quibus mos eſt, tradantur. In ceræ autem diſtributione, quæ fieri ſolet inter eos, qui funeri interfuere, ſi quis duplicem aliqua in Eccleſia perſonam gerit, vt puta Capellani & Canonici, vel Capellani & Prępoſiti; duas tamen ſibi partes deberi nihil eſt, quod exiſtimet: ſed, optione data, potiore ſit contentus. idemque ſeruetur in eleemoſinis diuidendis. Pauperes vero, præſertim peregrinos, qui in hoſpitalibus deceſſere, vſque adeo inopia laborantes, vt iis ad funus ſumptus non ſuppetant, gratuito Parochus eccleſiaſticæ ſepulturæ, nihil cunctatus, mandabit. Et quoniam heredes quandoque, vel ij, ad quos funeris impenſa pertinet, parum pie conantur ſolita Parochum eleemoſina fraudare, per ſpeciem paupertatis; cum nulli tamen, ceteris in rebus, ſumptui parcant, ſumptuoſa pompa complurium religioſorum, vel ſodalitatum ad id funus adhibita; propterea præſens Synodus ſtatuit, ante omnes alios vocari debere, vna cum Parocho, Canonicos, & Capellanos, qui in eadem parochiali Eccleſia diuina officia pſallere conſueuerunt: poſt ipſos autem vnicuique licere, quos voluerint, accerſere. in ceteris autem ſeruentur laudabiles, & antiquæ conſuetudines. Sepulturæ autem locus intelligatur eſſe in propria cuiuſque parochia; niſi alibi maiorum ſuorum ſepulchrum habeat. iuxta antiquas iuris diſpoſitiones, vel alio in loco eam elegerit: quæ electio non ſuffragetur, niſi legitime, ſummarie tamen, probata fuerit. Et quoniam cu uis ius eſt extra parochiam ſibi ſepulturæ locum deligere; ita tamen, vt parochiali interim ea res ne ſit detrimento; ortaque ſæpe eſt controuerſia de portione Parocho debita; idcirco, ad tollendas lites, præſens prouinciale Concilium decernit, ſeruandam eſſe laudabilem conſuetudinem cuiuſque Eccleſiæ per Ordinarium in tabella explicandam, prout ſupra dictum fuit. Funebres in mortui laudem orationes non habeantur; niſi prius ab Epiſcopo viſæ, & approbatæ fuerint, ac eas recitandi licentia ab eodem fuerit conceſſa. Laicorum ſodalitates cereos, ſeu candelas tam ſuper pheretro, & cadauere poſitas, quam circa illud delatas, ne poſthac auferant; cum ſpectent ad Eccleſiam parochialem. neque vero in Eccleſiis preces recitent; quas aliquando ſatis longas, abſoluto ſacerdotum officio, antequam ſodalis mortui corpus ſepeliatur, ab iis cani ſolitas accepimus: qui ſi ab Epiſcopis moniti non deſtiterint, coerceantur: & pertinaces, ne conueniant, prohibeantur. Heredibus autem, qui, ad inanem oſtentatio-

nem, ſolent non egenis hominibus panem, & vinum dilargiri, conſulit præſens Synodus, vt hæc in vere pauperes erogent, ne, dum hominum gratiam ſtulte promereri affectant, a diuina interim miſere excidant.

De rebus Eccleſiæ tuendis, deq́; iiſdem non alienandis nec pignorandis.

QVONIAM præſens prouiciale Concilium temporis excluditur anguſtiis, quo minus poſſit, ad normam Concilij Tridentini cap. 11. ſeſſ. 25. ex omnibus locationibus ad annos triginta, in longum tempus, ſeu (vt fit nonnullis in locis) in vigintinouem, vel bis vigintinouem annos factis, declarare quæ nam earum in Eccleſiæ damnum, contraue canonicas ſanctiones ſint facta; propterea prætermittendum non exiſtimauit, quin ad eiuſdem decreti præſcriptum & ex facultate ſibi ex eodem decreto conceſſa, huiuſmodi munus aliis ſubdelegaret. Itaque quod attinet ad bona, quæ ſunt in vnoquoque Epiſcopatu, Vicariis generalibus, in ſua cuique diœceſi, præſentis prouinciæ, & primam in eadem Cathedrali Eccleſia dignitatem obtinenti cuique, necnon collegiatæ ſæcularis Eccleſiæ, antiquiſſimo in vrbe ipſa commoranti prępoſito, omni meliori modo, ſubdelegat, & committit; adeo, vt duo ex ipſis omnia poſſint exſequi, & conficere, tertio non adhibito; ita tamen ſi neutrius illorum id interſit. nec enim debet Epiſcopi Vicarius de locationibus ab Epiſcopali menſa factis; nec de capituli locatione dignitas capitularis; nec antiquiſſimus prępoſitus de factis vel a ſe, vel ab anteceſſore ſuo locationibus cognoſcere. Quòd ſi qua forte eſſet iuſta ſuſpicionis cauſſa (vt puta, ſi quem illorum, quos diximus, in eiuſmodi alienatione, locationeue præfectum, aut iudicem fuiſſe contigiſſet) tunc ad acta per eos reſcindenda, & irrita reddenda, detur actio per eoſdem de conſilio iuriſconſulti partibus non ſuſpecti; idque ſumptibus ſuſpicionem proponentis. Mandat autem præſens prouinciale Concilium Epiſcopis omnibus, vt huiuſmodi locationes perueſtigandas curent, prædictiſque iudicibus tradant cognoſcendas; aut, agente fiſci procuratore, ad illarum (ſi ita ius erit) cognitionem, & diſceptationem ipſimet deueniant; idque illorum, qui eiuſmodi locationes fecerint ſiue heredum ſumptibus; quibus tamen liberũ ſit liti, ſi velint, intereſſe, ſumptuſque ſuppeditare. Si qui fuerint in tali re negligentes, ſeu Epiſcopi, ſeu iudices, ſeu Fiſci procuratores; in proximo prouinciali Concilio rationem reddent. In reliquis, Tridentini Concilij decreta ſeruentur omnino.

mnino: Pontificiæque Bullæ, de bonis male alienatis, deque decimis debitis ſoluendis, Tridentinique Concilij decreta cap. 11. ſeſſ. 22. & cap. 12. ſeſſ. 25. de ſuggeſtu populo ſæpiſſime pronuncientur; vt aliquando moniti reſipiſcant, ſeque a cenſuris vindicent, tum bona ad Eccleſiam eiuſque loca ſpectantia reſtituendo, tum debitas quoque decimas ſoluendo. Caueant autem omnes beneficiati, ne illis, qui ius habent patronatus, præſentationis, vel nominationis, locent Eccleſiæ bona; nec illis, qui iiſdem beneficiis ceſſerunt, eorumque in primo, vel in ſecundo gradu propinquis; neue illos ad fructus, vel penſiones exigendas, abſque Epiſcopi licentia, procuratores conſtituant. Præterea animaduertant omnes prælati, ſeu eccleſiaſtica aliqua dignitate præditi, cum ſibi facultas ab Apoſtolica ſede permittitur huiuſmodi alienationes, ſi in euidentem vtilitatem cedant, exſequendi, ne negligenter eo fungantur munere, vicariam in ea re ſcribarum operam ſubſtituentes: verum per ſe ipſi ſcrutentur omnia diligenter, & inquirant, in rem (ſi res poſtulet) præſentem venientes; ne ipſi quoque dilapidatorum ad Eccleſiam, piaue loca ſpectantium bonorum culpam ſuſtineant. Bonorum eccleſiaſticorum alienatio, ea lege (vt debet) facta, ne valeat, niſi ſuperioris auctoritas interceſſerit, adiecta clauſula, vt alioqui irrita cenſeatur, facta, ante interpoſitam huiuſmodi auctoritatem, traditione, irrita ſit; niſi in alienatione reſeruetur beneplacitum ſedis Apoſtolicę, & ſeruatis ſeruandis: ac tum is, qui poſſidet, amittat poſſeſſionem: qui vero aliter alienat ex Canonum ſanctione puniatur. neque enim eſt dubitandum, quin pœnis in Eccleſiæ bona, ſine ſuperiorum conſenſu alienantes conſtitutis ſit obnoxius. Quæ vero etiam in longum tempus locari bona conſueuere, quocunque iure ad Eccleſiam redierint, etiam ſi in Eccleſiæ bonorum corpus nondum ſint redacta, in reliquum tempus ne locentur amplius; niſi id cedat in Eccleſię vtilitatem, vel aliqua vrgeat neceſſitas. Scribæ, qui poſthac conſcribent teſtamenta, codicillos, aliaſue obligationes, ſeu ſyngraphas, quibus aliquid Eccleſiæ, piiſue operibus relictum. donatum, conceſſumue ſit, vel quouis iure, aut cauſſa ad eam, vel ad ea ſpectare declaratum; intra tres menſes, ex quo de morte legantis. donantis, & concedentis cognouerint, Epiſcopum Eccleſię, piiue loci præfectum, cuius id intereſt, faciant certiorem; atque obligationum illarum exemplum, accepto operæ ſuæ pretio, deferant. Idem faciant in huiuſmodi aliis ſyngraphis vel a ſe alias confectis, vel ab alio ſcriba, cuius tabulæ, ſeu protocolla quouis modo ad ipſos deuenerint; idque intra alios tres menſes, ex quo vel ipſi in memoriam redierint, vel alia ratione compererint, earum rerum aliquid in tabulis ſeu protocollis, quæ penes ipſos ſint, contineri, ſub excommunicationis pœna.

Huicque

Huicque decreto, & pænę ſubiicit præſens Synodus alios omnes, tametſi ſcribę non eſſent, qui penes ſe ſcripta huiuſmodi, & inſtrumenta detinent, nec ea proferunt, etiam ſi contra ipſos facerent: quandoquidem syngraphas omnes ad piarum cauſſarum vtilitatem ſpectantes, contra ſe etiam facientes, proferre quiſque de iure tenetur. Eidem pœnæ ſubiecti ſint, qui ab aliis huiuſmodi ſupprimi ſcientes clam habent. Ac ne ſpectantium ad Eccleſias, oratoria, ſacella, & alia quouis nomine appellata pia loca bonorum tam facilis ſit in reliquum tempus occupatio, quam fuit adhuc; mandat præſens Synodus, vt ij ad quos eiuſmodi Eccleſiarum, & locorum ſigillatim cura pertinet, illorũ bona omnia, ſiue emphiteutica, ſiue liuellaria, ſiue alio quouis iure mancipata, redigant in tabulas publicas, facta cuiuſque loci nominatim (ſi opus fuerit) mentione, & terminorum fines dirimentium: qui ſi nulli erunt, interponantur; tum poſſeſſoribus, tum etiam vicinis. ſi abſint, vocatis. Iidem in vnum volumen referant eorum omnium nomina, qui Eccleſiæ, piiſue locis & operibus perpetuo ſunt obligati; facta & prædiorum, & oneris prędio cuique impoſiti mentione: cuius quidem voluminis exemplum vnum ad Epiſcopale archiuum, alterum ad eum, cuius curæ eiuſmodi vel Eccleſia, vel pius locus ſit commiſſus, deferatur. Hoc autem prius ſaltem confici optat præſens Concilium, quàm noui Concilij tempus aduentet, quod ad tres annos erit conuocandum. At ij, quibus aliquid Eccleſiæ bonorumue eius, aut pij operis penditur nomine, cum aliquid exigent, ſcribam adhibeant, diſerte facta, in accepti, & expenſi tabulis, mentione, quo illa ſit pecunia nomine ſoluta: harumque tabularum rite confectarum, & conſignatarum exemplum deferant ad Epiſcopum, vel curent perferendum. Quia ſatis compertum eſt, inter ceteras cauſſas, quibus factum eſt, vt huius prouinciæ beneficia, tam curata, quam ſimplicia, ad tantam redacta ſint paupertatem, vt paucißima ſint, quæ rectorem alere poſſint, hanc vel pręcipuam fuiſſe, quòd rectores ipſi, emphyteutis, & aliis conductoribus recuſantibus penſionem, ſeu Canonem illis debitum ſoluere, ad id agendum eos compellere non curarunt, nolentes longas lites ſuſcipere, & magnos ſumptus facere, vt poſtea exiguas penſiones conſequantur: & quia clare patet, ob eandem cauſſam quotidie aliquos, ex his, qui minimi, & paucißimi Ecclesiis ſuperſunt, reditus amitti; præſens prouinciale Concilium volens huic incommodo occurrere, decernit, & conſtituit, vt eiuſmodi penſionum, Canonum, & redituum eccleſiaſticorum cauſſę a Iudicibus videantur, abſque vllo iudicij ſtrepitu, ſola facti veritate inſpecta, etiam ſine actorum ſcriptura, ſi ita Iudicibus videbitur expedire; præſertim ſi reditus, de quibus agetur, quinque aureorum ſummam

non

non excedent: & ita terminentur ac iudicentur. qui Iudices debeant, ſine aliqua mora, omnibus iuris, & facti remediis, ſententiam ita vt prefertur, latam exſequi; quam nullo modo poßit quæcunque interpoſita & admiſſa appellatio retardare; adeo, vt, quamuis ſimpliciter fuerit admiſſa, intelligatur tamen tacite illi ineſſe conditio, vt admißio non differat exſecutionem. Iiſdem etiam, & aliis vrgentibus rationibus motum idem Concilium ſtatuit, vt cauſſæ deuolutionum rerum emphyteuticarum, & alio quouis modo conductarum, quomodocunque proponantur deuolutæ, & ad Eccleſias, & beneficia, vel monaſteria, & alia loca eccleſiaſtica, ſiue aliter pia reuerſæ, ſummarie cognoſcantur, & decidantur: & Iudices teneantur omnino ſententiam exſequi, quacunque appellatione interpoſita non obſtante; quæ licet fuerit admiſſa, exſecutionem non ſuſpendat, nec differat miſsionem in poſſeßionem eiuſdem ſententiæ diſpoſitione faciendam: & ſemper intelligatur ea conditione admiſſa fuiſſe, vt Iudex, qui tulit ſententiam, poßit, & debeat Eccleſiam, ſiue pium locum, ſiue beneficiorum rectores, & monaſteria, quæ ſententiam pro ſe reportauerint, in poſſeßionem inducere, & in omnibus exſecutionem, ac licentiam concedere iuxta eiuſdem ſententię diſpoſitionem. Et ſupradicta omnia, & ſingula locum habeant, non ſolum cum clerici, & piorum locorum procuratores agunt, ſed etiam cum conueniuntur.

De protectoribus, ſeu curatoribus Eccleſiarum, & piorum locorum, & operum.

PIORVM operum ea eſt multitudo, & varietas; vt vna omnibus, eaque communi, nequeat prouinciale Concilium regula moderari. Quocirca munus conſulendi huiuſmodi hoſpitalibus, ſodalitatibus, & ceteris omnibus piis locis, etiam antea Ordinarij in ſe poteſtatem non agnoſcentibus, ac nihilo ſecius etiam illis, quorum cura eſt laicorum, ex decreto Concilij Tridentini, ad inuiſentem reiecit Epiſcopum: qui, perpenſis diligenter omnibus, curabit, vt ea, quæ ad Dei cultum, animarumque ſalutem, pauperes ſuſtentandos, & hoſpitio recipiendos, inſtituta fuere, abſolute impleantur; quęque intermiſſa reperiet, reuocentur, non obſtante quacunque conſuetudine, etiam immemorabili: vtque protectores, curatores, & œconomi, recte, & ordine in vrbe deligantur; extra vrbem vero, vt iis in locis, quibus Epiſcopus intereſſe minus commode poteſt, Eccleſiæ, piine alicuius loci, operis, aut ſocietatis

cura-

curatores, atque œconomi cum erunt deligendi, adſit Parochus, vel alius quiſpiam, cui ab Epiſcopo datum er t id negotij; qui curet illos potiſſimum deligendos, qui inter ceteros caritate pietate, & ſollertia præſtare videantur; quique illam ſibi prouinciam tradituros, vſque ad tertium propinquitatis gradum, neceſſitudine non attingant; quique eiuſmodi operæ non ſint obligati; & qui recte alias adminiſtratæ prouinciæ, tractatæque a ſe omnis pecuniæ rationem ita reddiderint, vt nihil omnino reliqui habeant, quod ſucceſſoribus ſuis bona fide non tradiderint. Atque ij, antequam ſuſcipiant huiuſmodi adminiſtrationem, ab Epiſcopo, ſiue eius, tam in vrbe, quam extra vrbem, Vicario obſtricti iureiurando, ſine fraudatione ſe omnia acturos, approbentur. Sitque annua, aut non longior certe quam biennis, ſummumue triennis, ea adminiſtratio. Quo exacto tempore, intra dies octo, etiam per eccleſiaſticas cenſuras, adigantur, coram Epiſcopo, ſi ſint in vrbe; ſi vero extra vrbem, coram Parocho, rationibus legitime redditis, reliquum quicquid erit pecuniæ, reſtituere. Interim tamen ſub anni cuiuſque finem, ſubductę diligenter per homines ei muneri præpoſitos, ſiue præponendos, coram Parocho, rationes conferantur. Illud autem in primis efficiendum, vt exigendarum, impendendarumque pecuniarum ea ineatur ratio, vt omnino nullus fraudis ſuſpicioni relinquatur locus. Itaque propinquorum ſuorum, vſque in tertium gradum, nemini ex eius operis bonis quidquam locent: neue quid exigant a priuatis hominibus illius opidi, pagi, aut ſocietatis, impoſito inuitis onere; niſi conſulto ea de re Epiſcopo; qui non, niſi neceſſaria de cauſſa, id concedet; & niſi, exquiſitis, vel per ſe, vel per alium, ſententiis, omnibus id, vel plerisque probari intelligat. Meminerint autem ij, qui hoſpitalia aut ſibi commendata habent, aut in titulum obtinent, aut eorum curam gerunt, ſi attributos ad ęgrotantium, vel hoſpitum vitam tuendam fructus in alios vſus conuerti permiſerint, ex eoque pauperes inopia moriantur; ad iudicantis Domini tribunal, homicidij ſe ſe reos futuros. Eorum autem hoſpitalium fructus, quæ ad certum aliquod peregrinorum, ægrotantium, hominumue aliorum genus ſuſcipiendum inſtituta fuere, ſi eo in loco nulli, aut pauci admodum tales reperiantur; iuxta Tridentini Concilij decretum, duobus ex capitulo ſecum ad eam rem abhibitis, Ordinarius, pro loci, & temporis ratione, in alios eiuſmodi pios conuertet vſus, niſi aliud expreſſum fuerit in fundatione. Illud etiam animaduertat, vt peregrinus, ſiue alius quiuis maſculus cum incontinentiæ ſuſpecta femina ad hoſpitale accedens non recipiatur; niſi planum faciat, eam ſe legitimo iunctam matrimonio habere: ac tum quoque ſeparatis in locis hoſpitium præbeatur. Impudentes, blaſphemos, & vagos homines

ad eadem diuertentes cum præſtigiatoribus circulatoribus,& id genus nebulonibus, validisque mendicantibus, ac morbos ſimulantibus, præſertim mulieres circumducentibus nequaquam recipiant; verum increpantes abigant; ſic enim fiet, vt a peſtifero illo otioſo vitæ genere, ad laborem denique, & induſtriam aliquam ſe conferant. Vere autem inopes, morbo laborantes, & peregrinos comiter,& humaniter excipiant; iiſque ſedulo,ac hilare præbeant ad victum, & ad valetudinem neceſſaria: ac multo quidem benignius,& promptius exhibenda curent ſpiritualia;vt, quibuſcunque opus erit, præſto ſit Sacerdos; qui,confeſſione audita, ægris opportune præbeat Euchariſtiam; ac, ingraueſcente denique morbo, extremam adhibens vnctionem, ad extremum vſque ſpiritum, conſolando adſit: mortuum denique afficiat honore ſepulturę; relato morientis cuiuſque in codicem ad eum vſum paratum nomine, cognomine,patria & obitus die. Curent etiam, vt ſacrificium Miſſæ Dominico ſaltem, vel alio ibidem die celebretur. Ceterum conualeſcentes ne prius emittant, quàm bene ſe habeant; ne, ſi non ſatis confirmati eiiciantur, in morbum grauiorem ſtatim recidant. Epiſcopi autem, propoſitis edictis, præcipiant,vt, quibus ſuppetit facultas infantes quiſque ſuos,ſiue patres, ſiue matres,ſiue alij,ad quos iure ſpectat ea cura; ſuis ſumptibus,ſuoue labore,(vt par eſt)alant,neque, eos exponendo, id a ſe oneris in hoſpitalia impie ſimul, & auare reiiciant; neu quis talia vel per ſe, vel per alium quemuis molientes opera,conſilio, ſtudioue iuuare audeat, ſub pœnis, & cenſuris ab Ordinario ſeuere contrafacientibus infligendis.

De Diſciplinatoribus, & aliarum ſocietatum fratribus.

SODALITATVM omnium conuentus inuiſat Epiſcopus; corrigenda ſiqua fuerint, tam in iis,quæ ad eorum libros,meditationes, & preces, quàm, quæ ad reliqua pertinent, omnia corrigat: curetque, vt ſui quiſque inſtituti regulas, pie, caſteque obſeruet: vulgari ſermone conſcripta Officia Beatę virginis prorſus omittant: ſuadeatque, vt, eorum loco, recitent Officium eiuſdem Deiparæ virginis a Pio V. Pont. Max inſtauratum: atque poſthac in proceſſionibus bini ordinate, compoſite, & ſine clamore, ac collocutionibus, die (numquam autem nocte) diuinis, (vt decet) laudibus, Hymnis, precationibuſque intenti, flagellis ad pietatem, non ad oſtentationem, aut ad quæſtum ſeſe cædentes, recta ad

Eccleſias tendant; neue hac, illac, nullo ordine concurſantes ſpectandos ſe præbeant hominibus: comeſſationibus, & compotationibus ne indulgeant. Repræſentationes omittant: ſuaque officia tam mature conficiant; vt integrum cuique ſit, in parochiali ſua Eccleſia Miſſam audire; neue Parochis ſint in mora. Publica conuiuia, quæ a ſodalitatibus, ſocietatibuſue nonnullis, ex communibus ipſorum reditibus, vel legatis fieri ſolent, omnino prohibemus. Pertinacium, & eorum, qui corrigi recuſauerint, & inobædientium ſocietates tollant, & aboleant Epiſcopi, vel aliis pœnis afficiant, pro vt ipſis conuenire videbitur.

De Indulgentiis.

INDVLGENTIAE omnes cum erunt promulgandæ, prius impetretur ab Ordinario de ſcripto licentia, aut illis ſaltem ſubſcribat Notarius. ita demum, ex Ordinarij præſcripto, promulgare licebit. Abuſus ſiqui ſuper Indulgentiis irrepſerint, adhibeatur animaduerſio. Eſt incredibile dictu, quanto cum animi dolore bonorum omnium, in hoc prouinciali Concilio ſit auditum, eo progreſſam eſſe aliquorum hominum nequitiam, & impudentiam; vt Eccleſias frequentandi conſuetudinem, tum ad Indulgentias conſequendas, tum ad ſanctorum reliquias venerandas, ab antiquis patribus pie introductam prorſus corrumpere, ac deprauare non vereantur: & quo maiores noſtri non ſine horrore quodam timide accedebant, ibi horum temporum nonnulli homines vſque adeo confidenter, & inuerecunde verſentur; vt ad luſus, & delitias in Eccleſias tamquam theatra temere confluant, iudicium Domini, pro miſericordia, contra ſe procurantes. Idcirco omnibus ad dicta loca accedentibus, ſub anathematis pœna, mandatur, ne quis in ipſis Eccleſiis, illarumue foribus, cum mulieribus audeat conſiſtere: ſed recta, cum modeſtia, & pietate, ad rem diuinam accedant; eaque peracta, recedant. Si tamen, dum ad Altaria, quæ ſunt ad Eccleſię limina, Miſſa celebratur, per eam cauſſam, aliquis ibi fuerit commoratus, vel morbo affectus, feſſuſue paullulum ſubſederit, ad vires colligendas; id vtique, ceſſante fraude, ſine culpa licere decernitur. Enimuero praua illa conſuetudo ab omnium radice malorum auaritia profecta, vt iuniores mulieres modeſtiæ, pudoriſque ſui oblitæ aſſideant ad menſas, & loca, in quibus vaſa ad recipiendas eleemoſinas Eccleſiam ingredientium comparata collocari ſolent, nulla ratione amplius eſt ferenda. Itaque, ſub excommunicationis latæ ſententiæ

pœna,

pœnã mulieribus omnibus interdicitur, quæ annum quinctum & quinquageſimum non exceſſerint, ne qua illarum, quouis modo, vel minimum quidem temporis momentum, ad eas menſas, loca, ſeu vaſa aſsidere, ſtare, aut commorari poſthac audeat; ac multo etiam minus ex quouis loco, vel voce quemquam appellare, vel nutu, vel ſignificatione vlla inuitare ad eleemoſinam conferendam. Hęc eadem conſtitutio locum habeat in illis etiam mulieribus, quæ pro Prædicatoribus eleemoſinam petunt. In ceteris vero, quæ ad Indulgentias pertinent, ea obſeruentur omnino, quæ a ſacro Concilio Tridentino cap. 1. continuationis ſeſs. 25. conſtituta fuere, quæque in Bulla a Pio V. edita Indulgentias omnes, etiam perpetuas, pro quibus obtinendis aliquid eſſet erogandum, reuocante; vt, ſi quis abuſus forte obrepſerit; eum Epiſcopi tollant, vel ad alteram primo quoque tempore futuram Synodum referuent; vt ei proſpiciatur incommodo. Quemadmodum autem non interdicimus, quin ad Eccleſias, Indulgentiarum cauſſa, accedentes ſponte (ſi libeat) eleemoſinas præbeant; ita ne ij, ad quos Eccleſiarum cura ſpectat, auaritia obcæcati ab ingredientibus importunis flagitationibus extorqueant, ſtatuimus.

De Ieiunio obſeruando.

IEIVNII tempore, vetitis nemo cibis veſcatur; nec domi ſuæ, in hoſpitiisue, aut cauponis, cuiquam ea parare, vel apponere liceat: idque cum ſemper eſt cauendum, tum vero maxime Quadrageſimæ, & quattuor anni temporum ieiuniis; quibus ne in macello quidem carnes venales habere conceditur, præterquam certo in loco, ægrotantium cauſſa, conſtituendo, iiſque tantummodo, qui id ſibi licere ſcriptis oſtendent. Veſcendi autem eiuſmodi temporibus facultatem, in vrbe Epiſcopus, vel eius Vicarius; extra vrbem Parochus, ita demum (idq; gratuito,) concedant, ſi vtriuſque Medici, vel eius ſaltem, qui corporis curationi prȩeſt, teſtimonio id fieri conſtet oportere; niſi vero grauis aliqua, & manifeſta cauſſa ſubſit, vt, ſi quis aut febre, aut alio morbo laborans iaceat in lecto: iis nanque, & puerperis, & ſenio confectis vltro eſt concedenda, nec vllo medicorum teſtimonio eſt opus. Qui vero opidula, & pagos habitant, vbi nulli ſunt medici, quique adeo laborant inopia, vt adhibere medicos non poſſint, iis Parochus ipſe, cauſſa diligenter cognita, licentiam (ſi videbitur expedire) concedet: alioqui deneget. In huiuſmodi autem conceſsionibus, ne ſponte quidem oblatum pretij loco quidquam accipiatur.

tur. Eſt autem quòd ſciant medici ſe contra fas facturos, ſi nulla iuſta cauſſa adducti cuiquam auctores fuerint, vt vetitis cibis veſcatur, licentiam conceſſerint, fidemue fecerint. Quibus vero facultas data fuerit, cibum ſumant ab aliis ſeparatim; ne ceteris factum, non etiam facti cauſſam intuentibus inde ſcandali prębeatur occaſio.

De Feſti diei ſanctificatione.

FESTORVM dierum ſanctificationem, quæ ad Dei cultum maxime pertinet, eſtque diuina lege ſancita, rite in primis ſeruari optans, ac felicis memoriæ Sanctiſſimi D. N. Pij V. Bullæ præſens Synodus inhærendo, præcipit, vt feſti dies omnes, præcipue vero dies Dominicus ſumma religione cuſtodiantur; vtque iis diebus Eccleſias homines frequentent; Miſſę, aliiſque diuinis officiis, prædicationibus, lectionibuſque interſint; omni inconceſſo, ſeruilique abſtineant opere; mercatus ac profanas negotiationes ne exerceant; iudiciorum etiam ſtrepitus conquieſcant. quòd ſi quem tam in vrbe, quam in opidis, pagis, agriſque, aut alio quouis in loco eiuſmodi opus exercuiſſe compertum fuerit, præter ineuitabilem diuinam vltionem, iumentorum quoque ad illud opus adhibitorum, tum mercium, & rerum. ſiue conuectarum, ſiue quarum cauſſa ſuſceptum vtcunque fuerit opus, amiſſione multetur; eidemque alia quæuis pœna, multaue præterea, Epiſcopi arbitrio, irrogetur: exceptis illis mercibus, quæ ſunt in itinere, & retardari non poſſunt; & hoc poſtquam vectores Miſſam audierint. Caupones, & alij huiuſmodi ne quid vendant eſculenti, poculentique, neu venale publice exponant, niſi abſoluta, vbi prædicatur verbum Dei, concione: alibi vero non, niſi poſt Nonam ſeu poſt Miſſam in Parochia celebratam. Idemque ij obſeruent, qui cruſtula, & bellaria vendunt: prætera vt ab Eccleſiis omnino procul abſiſtant. Nominatim ludicrarum artium magiſtris interdicitur; ne feſto die, præſertim dum ſacra fiunt in Eccleſiis, dumque diuina peraguntur, dum habetur concio, lectione, doctrinaque chriſtiana legitur, in ſcholis, aut alibi doceant homines ſaltare, choreas ducere, vel digladiari. Item mimi, hiſtriones, præſtigiatores, ceterique omnes circulatores, quicunque ſint, artem ſuam, imagines, aliaſue merces populo ne venditent. Qui ſi in culpa deprehenſi fuerint; duplo maiores pœnas luant. In ijs vero, quæ attinent ad medicinam, & quotidianum victum, non habeat locum decreti huius diſpoſitio: ſed cum iis qui talia vendunt eam ineat Epiſcopus rationem, eum-

que

que præſtituat vendendi modum, qui ceteris offendiculo eſſe non poſſit, & quo latebra peccato non paretur. Si vero opus aliquod erit ita neceſſario faciendum, vt in aliud tempus, ſine graui damno, differri non poßit; tunc Epiſcopus in vrbe, extra vrbem vero Parochus, vel ij, quorum erit munus pœnas de delinquentibus ſumere, licentiam gratis concedant. Huiuſmodi autem multas extra vrbem exigendi negotium Parocho, ac curatoribus Eccleſiarum recte dari poſſe cenſet præſens Synodus: & quæ inde pecunia redacta fuerit, in eiuſdem Eccleſię vtilitatem cedat: quæ vero ex multis huiuſmodi pęcuniæ in Ciuitate colligentur, operibus piis, arbitrio Ordinarij, applicabuntur.

De blaſphemis.

QVI palam Domino Deo, ſeu Beatæ Mariæ virgini ſemel maledixerit, quoquoue modo ore blaſphemo conuicium facere veritus non fuerit; ſi laicus ſit, multæ nomine nummos aureos pendat vigintiquinque. Iterum peccanti pœna duplicetur. qui tertium in idem ſcelus inciderit, aureos nummos centum pendat. Si quis non erit ſoluendo, corpore pœnas ita luat, vt (ſi res poſtulet) etiam virgis cedatur, aut exilio multetur. Si vero ſit Clericus beneficiatus; annuos fructus ſemel delinquens amittat: relapſus beneficio ſpolietur: tertio peccans, omni dignitate detracta, poteſtate etiam rem diuinam faciendi priuetur, & in exilium mittatur. Si beneficio carebit; primum peccans nummos vigintiquinque pendat: iterum, in carcerem ad certum tempus coniiciatur: tertium, de gradu ſacerdotali deiectus ſit obnoxius pœnæ, quæ eſt in Concil. Lateranenſi, facto ſub Leone X. Pontifi. Max. & iuxta Bullam Pij Papæ V. ſub Dat. Romæ M.D.LXVI. ſexto Cal. Aprilis. Pont. Anno primo. In reliquos ſanctos blaſphemus, ſiue eccleſiaſticus, ſiue laicus, pecunia multetur: eæque multę omnes in vſus pios vtique conuertantur. Iudex vero quoties de huiuſmodi reis pœnas ſumet, veram decem annorum indulgentiam ex Lateranenſi Concilio conſequetur. Blaſphemantes pueros parentes ipſi corrigant; famulos, & miniſtros domini, & opifices; eoſq; niſi obiurgati reſipiſcant, a ſe penitus extrudant; ne ipſi eius criminis participes fiant. Vt autem tam execrabile vitium tollatur; optat præſens Synodus Sanctißimi nominis IESV in omnibus diœceſibus ſocietatem inſtitui, ad præſcriptum litterarum Apoſtolicarum, cum Indulgentiis, & Priuilegiis eidem ſocietati conceßis, promulgandarum; vt ad eam ineundam fidelium animi alliciantur.

De

De concubinis, & meretricibus.

SALVBERRIMA de concubinariis Tridentini Concilij decreta mandat præſens Synodus omni diligentia obſeruari: vtque Epiſcopi dent operam, vt meretrices ipſæ ex pudicarum mulierum viciniis, quoquomodo fieri poßit, exigantur: vtque Parochi, ineunte Quadrageſima, manifeſtos concubinarios nominatim, occultos vniuerſe, ſub anathematis pœna, moneant, vt, dierum quindecim ſpatio, pro primo, ſecundo, & tertio termino, peremptorie præſtituto, concubinas a ſe omnes eiiciant; earumque in reliquum tempus omni conſuetudine abſtineant: qui ſi minus intra præſcriptum diem dicto fuerint audientes; contumaces excommunicatos publicent, uel deferant Ordinario, de cuius auctoritate prædicta exſequantur: nominatim, ſi (vt dictum eſt) manifeſti fuerint: in reliquos vniuerſe. Eadem ratione in matrimonio iunctos agatur, qui, non interpoſito Eccleſiæ iudicio, diuortium fecerint. Maritis, qui palam concubinas habent, vnde pudicarum etiam vxorum animi vſque adeo irritari, & exacerbari conſueuere, vt amaris odiorum ſtimulis ad nequitiam eæ quoque ipſæ nonnumquam præcipites ferantur, peremptorie præcipit, vt intra dies quindecim, poſt hoc promulgatum edictum, & in vrbe, & extra, concubinas eiiciant; ipſis vero concubinis, vt omnino diſcedant. qui parere neglexerint, eos artißimis iam nunc excommunicationis nodis præſens Synodus, ſimul atque præſtituta dies præterierit, conſtrictos pronunciat; quos, præter Ordinarium, nullus queat abſoluere.

De fænore, & fæneratoribus.

DAMNATVM eſſe fænus, eoque omnibus hominibus ita interdictum eſſe conſtat, vt ne ad erogandam quidem honeſtos in vſus pecuniam, ad familiam, & pupillos alendos, ad pia loca, vel vniuerſitates tuendas, id vlli omnino liceat exercere. Quare a fæneraticiis contractibus Chriſtianis hominibus prorſus eſt abſtinendum. Si quis tamen æternæ ſalutis parum memor, quouis modo, etiam per interpoſitam perſonam, fænus exercuerit; eundem, cum ſcriba, qui eam ſyngrapham conſcripſerit, ac interceſſore, præſens Synodus excommunicationi, cuius lata iam nunc ſit ſententia, ſubiicit; a qua, non, niſi

ab Ordinario ſit abſoluendus: morte autem inſtante, quiuis eum Sacerdos poterit abſoluere; ita demum, ſi, quod ex fænore acceperit, vel ipſe (quod erit omnium optimum) reſtituat, vel, datis pignoribus, caueat, eoue onere heredes ita grauet neceſſario, vt ad ſatisfaciendum poßint iure compelli. Fæneratorum malitia vſq; adeo creuit, & facta eſt multiplex, vt difficillimum ſit illorum fraudes, & circumſcriptiones detegere, in apertumque, ac lucem proferre; peruerſa plerumque veteratorum hominum verſutia illos adiuuante. Vt autem ei malo, ſi minus quod oportet, ſaltem id, quod poteſt, vel aliqua ex parte, remedium adhibeatur; præſens Synodus mandat in primis Confeſſariis omnibus, ut Canones ea de re agentes, maxime uero Pij V. decretalem, quæ eſt de Cambiis, obſeruent; contraq; eam facientes ne abſoluant: ſtatuitque, vt de mutuo gratuito, vel de acceptione pretij, anticipata rei venditæ ſolutione, syngraphæ ne publicentur, niſi plane conſpecta, dum re vera numeraretur, pecunia, coram ſcriba, & teſtibus, qui oculis ſuis cernant eiuſmodi vel mutuo datam, uel pretij nomine pro re vendita ſolutam pecuniam ab eo, cui mutuo datur, vel a venditore accipi, & in loculos condi: vtque in syngraphis venditionum rerum mobilium, quæ, dilata in diem ſolutione, fiunt, exprimatur nominatim res ipſa, cum ſuis qualitatibus, adiecto numero, pondere, & menſura, additis etiam teſtibus, ſiue illorum nominibus, qui, dum ea res tradita, tradendaue ſit, rite adfuerint, adfuturiue ſint: alioqui tam contrahentes, quam ſcribæ tantundem pecuniarum Ordinarij fiſco perſoluant. Epiſcopi, propoſito ſæpe edicto ſanctione pœnæ communito, cogant, eos, qui fænoris nomine pecunias perſoluerunt, eiuſue ſoluendæ interceſſores fuere, vt clam ſaltem ad eundem Ordinarium fæneratorum ipſorum nomina deferant; vt horum quoque, vel inuitorum, aliquo modo ſaluti conſuli aliquando poßit. At vero illos, qui, ante inſtitutum aduerſus ſe, rei peruestigandæ cauſſa, iudicium, vltro ſe ipſos, etiam ſecreto, ad Ordinarios accuſatum venerint, reſtituto eo, quod eſt reſtituendum (ſine quo peccatum remitti non poteſt) culpa ſolutos a pœnis liberos dimittant. Qui reſtituendum aliquid habent, hos nullus abſoluat ante factam (ſi ſuppetat facultas) reſtitutionem. Optat præterea præſens Synodus, perque Chriſti ſaluatoris noſtri viſcera, Principes viros, Dominos, Optimates, alioſue omnes rogat, & obſecrat, vt beatæ ac ſempiternæ vitæ non immemores homini illi propoſitæ, qui, (vt Regius cecinit vates) miſeretur, & commodat, Pietatis Montes (quos appellant) vbique, pro locorum facultate, & copia, inſtituere, iamque inſtitutos tueri, & auctiores (quantum in ipſis eſt) reddere ſtudeant; ea namque fuerit optima ratio tam multiplicibus, tamque artificioſis per grauiſſimum

fænus.

fœnus extorquendarum pecuniarum commentis tandem aliquando obuiam eundi, modumque ſtatuendi; atque ita locupletum hominum animarum ſaluti, tenuiumque fortunis eadem opera quam rectiſſime conſuletur.

De Epiſcopali foro.

ADMONET inprimis Epiſcopos præſens Synodus, a Tridentini Concilij decretis non recedens. vt iudicium miſericordia, ſeueritatem lenitate temperent; ſummaque ope nitantur, cum omnium, tum vero eccleſiaſticorum hominum vitia ſtirpitus euellere: in quo tamen eam adhibebunt moderationem, vt horum famæ parcatur; operamque dabunt, vt honos his ſuus (quoad licebit) integer, inuiolatuſque conſeruetur; ne qua forte de ſacerdotali exiſtimatione diminutio fiat, paullatimque veniat in contemptionem. In domeſticos autem ſuos, ac familiares, ſcribas, & aliorum officiorum functionem habentes, ſi eos peccare contingat, agant ſeuerius; in quos cum ſæcularis Iudex, ſicut in ceteras eccleſiaſticas perſonas, animaduertendi ius non habeat; quippe cui (quemadmodum antiquioribus prouincialis Concilij decretis declaratum, conſtitutumque exſtat) per eccleſiaſticas cenſuras ſit interdictum; eo accuratius eccleſiaſticos Iudices animaduertere oportet, ſeueriuſque eos compeſcere; ne, propoſita impunitatis ſpe, reddantur inſolentes. Ac ne, dum ſedandis controuerſiis, ac litibus dirimendis Epiſcopi ipſi ſunt intenti, ſpirituali interim cibo commiſſum ſibi gregem defraudent; in vrbe Vicarium quiſque ſuum, cuius latiſſime pateat poteſtas, clericum, ac (ſi fieri poteſt) Sacerdotem habebunt; ita tamen, vt, ſi grauius quid inciderit, Ordinario ipſo inconſulto ne decidat. Ad hæc, ſæpius & a ſcribis, & ab aliis ſciſcitetur idē Ordinarius, vt ſe ſe habeant; iudicia an integre, et incorrupte exerceantur: ac ſi quid vitij, aut ſi quos abuſus irrepſiſſe vel irrepere comperit, huiuſmodi ſtatim medeatur incommodo. Cauſſas autē illorum maxime, qui carcere incluſi tenentur, viduarum, pupillorum, pauperum extra vrbem degentium, ſummariaſque omnes; cuiuſmodi ſunt mercedis, eleemoſinarum pro Miſſis, aliiſque diuinis officiis celebratis, funerumque, ac pecuniarum ex locationibus exigendarum, tum iis, quæ fiunt ad tempus, tum perpetuis eccleſiaſticorum bonorum, quorum conductores conſtat vtcunque prius appellatos fuiſſe, necnon & decimarum: cauſſas ergo has omnes quàm celerrime diiudicandas curet; omninoque ita fieri mandat. Dominicis feſtiſque aliis diebus in ius quemquam vocare, aut in quemnis vllo

modo agere nemini licere volumus. Habeat inſuper Ordinarius, prȩter vrbanum, alios etiam in omni plebe Vicarios; quorum, aliorumque officia venalia ne habeantur, prȩcipit Synodus: ſed idoneis hominibus mandentur; quorum abunde vita, mores, & doctrina ſpectata ſit: iique per ſe ipſi libere officiorum ſuorum muneribus ſungantur. Tabularium, ſiue archiuum conſtituatur in Epiſcopali palatio; in quo protocolla, & a ſcribis mandata litteris acta cauſſarum omnium condita ſeruentur; & in exigenda pro his mercede, diffinitum a diœceſana Synodo modum ſcribæ non prætergrediantur. Ne autem patrocinio deſtitutæ miſerabiles perſonæ ſuo iure fraudentur, neue aduerſariorum opprimantur opibus, & potentia; curȩ ſit Epiſcopis, vt publici in ipſorum diœceſibus procuratores, & aduocati conſtituantur; quotieſue caſu euenerit, vt res poſcat, aliquem illis prouideat Ordinarius: qui ſi, nulla reddita probabili cauſſa, id ſuſcipere negotij recuſauerit; ad negotia, cauſſaſque eccleſiaſticas in reliquum tempus agendas huic aditus, Epiſcopi ipſius arbitrio, obſtruatur. Iudex autem, a cuius ſententia prouocatum fuerit, prouocanti vel ſtatim reſpondeat, vel primo quoque tempore; ne, ea re ſæpius dilata, forte contingat, vt is, cuius res agitur, Iudice rem procraſtinante, iure ſuo interim excidat, litiſque fruſtra fecerit impenſam. Idem Iudex acta petentibus ſubſcriptum de more, ac ſubſignatum eorum exemplum intra menſem tradere, ex Tridentini Concilij præſcripto, ſcribam compellet. interim autem, dum acta ſubſignat, & appellanti tradit, efficiat, vt idem appellans Iudici ipſi ſignificet, a cuius ſententia prouocauit, velle ſe coram altero illo Iudice, ad quem, comparere; vt omnibus de rebus ad huiuſmodi cauſſæ cognitionem pertinentibus, de quibus poſterior Iudex docendus eſſe videatur, poßit illum prior facere certiorem: deque hac ipſa admonitione fidem faciat ipſemet ſcriba in actorum ſubſcriptione; ſi forte minus teſtatum id alibi reperiretur. Porro cum, admittenda ne ſit appellatio, probabilis erit ambigendi cauſſa; is, ad quem fuerit prouocatum, breui præſtituto temporis ſpatio, id excutiet; ne tempus teratur, tum iniuſtis inhibitionibus concedendis, tum laboribus, ac ſumptibus ab iis qui iudicio contendunt, fruſtra ſuſcipiendis. Eccleſiaſticis quidem Iudicibus. Synodus mandat, vt, antequam, iudicatæ rei exſequendæ cauſſa, excommunicationis gladium diſtringant, pro ſuo iure, ſuaq; auctoritate, damnatos tam per ſe, quam per publicos, & ſæcularium magiſtratuum apparitores comprehendendo, coerceant ſubigantq; vel inuitos, ac reluctantes ſtare ei, quod fuerit iudicatum. Hortatur autem, & admonet prouincialis Synodus omnes Principes, & Magiſtratus ſæculares, vt faciles ſint, & prompti in concedendo Ordinariis brachio

ſæculari, cum illud implorauerit; ne, dum diutius differunt, in cauſſa ſint, vt, quod iuſtitia poſtulat, impediatur. Et quoniam præſens Synodus intelligit, ex ſcripturarum facta generaliter exhibitione multas fraudes admiſſas, ac tum quidem maxime, poſtquam a ſcriba iis, quorum erant, non recognito earum exemplo, reddita fuere. propterea ſtatuit, ne poſthac audeant ſcribæ, neu in depoſitione ſchedularum, neue alio quouis modo, ſcripturis exhibitionem generaliter adſcribere, niſi relictis in actis ipſis ſcripturis, & inſtrumentis in forma probanti, vel earum copia cum authentico per ipſum ſcribam collationata.

De pœnis.

T*AMETSI Concilij huiuſmodi conſtitutiones nullis fere ſint pœnarum ſanctionibus munitę, quibus ſint afficiendi, ſi qui parere recuſauerint (optaret enim ipſa Synodus ab omnibus ita vitam inſtitui, vt cum nouerint quid ſibi ſequendum, quid fugiendum ſit, recti potius amore, quàm pœnarum metu, in officio contineantur) ac tamen ex eo, quòd pœnarum metus abſit omnis, nimium late patens aditus ad contumaciam de induſtria relictus eſſe videatur; idcirco ſtatuit, & decernit, vt omnes, & ſinguli, quicunque ſit eorum ſtatus, gradus, conditio, ac dignitas, qui contra eiuſmodi conſtitutiones, & decreta fecerint, ſtatutis pœnis afficiantur. At vbi certæ non ſunt ſtatutæ nominatim per arbitrarias pœnas, & multas, coertiones, cenſuraſque eccleſiaſticas, Ordinarius quiſque, arbitrio ſuo, pro ſuo iure, in eos, qui ſunt ſuæ ditionis, animaduertat. Ipſi autem Ordinarij Metropolitani iudicio ſuberunt, prouincialique Concilio. Ne quis autem, quaſi præmonitus non fuerit, ad ignorationis excuſationem poßit confugere; conſtituit etiam, vt hæc decreta in vnaquaque diæceſi promulgentur; vt poſt ſexageſimum, quàm tipis excuſa, & in Metropoli venalia propoſita fuerint, diem, quod ad pœnas a noxiis perſequendas attinet, habeant vim trinę, ac peremptoriæ monitionis, citationiſue. In ceteris autem omnibus, ſimulatque fuerint promulgata, tam in iudicio, quam extra iudicium, non minus in abſentes, quam in præſentes vim, atque robur eadem ſumpſiſſe intelligant omnes.*

De decretis tum obſeruandis, tum interpretandis.

NON eo quidem conſilio præſens prouincialis Synodus decreta hęc edidit, vt ad ſacræ Tridentinæ Synodi decreta, vlla in re, vel interpretationes, vel gloſſas adderet: immo vero ſe malle profitetur omnia & ſingula in hoc ipſo edita Concilio tolli, & abrogari, ac iam nunc (ſi ita eſt neceſſe) ipſamet ſublata, & abrogata eſſe vult, quam vt per hęc contra illa vel veniat, vel veniſſe videri poßit; contraue litterarum Apoſtolicarum Romæ datarum 7. Cal. Februarij. 1564. iuſſa: ſed potius, vt in illo ipſo œcumenico Concilio contenta omnibus in memoriam redigens obſeruanda curaret. Illud etiam addit, non eam ſibi fuiſſe horum conſcribendorum cauſſam, vt omnia perſequeretur, quęcunque eſſent obſeruanda: ſed illa tantum attigiſſe, quę è re noſtræ prouinciæ fore videbantur. Quapropter idem prouinciale Concilium mandat, vt hæc omnia, & ſingula non ſolum a prouincialibus vniuerſis, ſed etiam ab aliis extra prouinciam, qui ſe ad hanc ipſam Synodum aggregarunt, &, ſi qui ſunt alij, ad quos eædem conſtitutiones quouis iure pertineant, recipiantur, & obſeruentur, tam quod ad ipſos attinet, quam ad eorum ſeu ditioni, ſeu poteſtati ſuppoſitos, ſiue præſentes, ſiue abſentes, ſub pœnis tam a iure conſtitutis, quam Ordinariorum arbitrio reſeruatis: ſuo tamen aliorum prouincialium, necnon vniuſcuiuſque diœceſis diœceſani Concilij decretis integro iure reſeruato, quibus per hæc ipſa in ijs tantum partibus eſſe derogatum pronunciatur, in quibus ipſis contraria eſſent, aut repugnantia.

De decretis interpretandis.

SI QVA in iis interpretandis, quæ hac Synodo continentur, difficultas, aut ſi quis nodus exſtiterit; eius vnicuique Epiſcopo in ſua diœceſi ſoluendi ad id tempus, quo proximum prouinciale Concilium celebrabitur, poteſtas ſit; ſummo tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iure, ſummaque auctoritate reſeruata; cui acta hæc ipſa, decretaque omnia, qua decet, reuerentia, & obœdientia, ſubiicimus interpretanda, corrigenda, & emendanda.

MVLTVM quidem cogitauit præſens Synodus quamnam inire poſſet rationem, ex ſacroſancti Concilij Tridentini præſcripto, qua prouideretur, vt nonnullarum Cathedralium Eccleſiarum huius prouinciæ reditus, qui tam tenues ſunt, vt vix ſatis eſſent ad honeſte parochialis Eccleſiæ Rectorem ſuſtentandum, ita nouis prouentibus augerentur, vt idonei fierent ad Epiſcopalem dignitatem tuendam: ſed tanta inopia Eccleſias laborare, & laicos etiam adeo pauperes eſſe comperit; vt nihil dignum occurrerit, quod de hoc negotio ſtatueretur. Quare cum Metropolitano eadem Synodus egit, vt ſanctiſſimo Domino Noſtro tenuitatem earundem Eccleſiarum ſignificet; vt ipſe poſtea, cognita rei neceſſitate, pro ſua pietate, & prudentia, Epiſcopis, & Eccleſiis conſulere poſſit.

Decreuit etiam, vt quicquid ab eodem ſanctiſſimo Domino Noſtro communibus Metropolitani, & prouincialium Epiſcoporum litteris poſtulabitur, id ipſius Synodi nomine, & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac ſi in ſeſſione publice petitum eſſet.

De fine prouinciali Concilio imponendo.

CVM Paſtoralis officij ſollicitudo Paſtorum vnumquemque reuocet ad ſui muneris in Eccleſiis ſuis functionem, iamque decernenda quæ videbantur, omnia ſint conſtituta; Placet ne vobis, Reuerendiſſimi Patres, vt, ad laudem ſanctę, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, finem huic ipſi Concilio imponamus? Reuerendiſſimi Patres reſponderunt: Placet.

FINIS.

COPIA

SVBSCRIPTIONVM REVERENdiſſimorum Epiſcoporum, & Procuratorum loco abſentium.

Ego Cyprianus Pallauicinus Eccleſiæ Metropolitanæ Genuenſis Archiepiſcopus.

Ego Carolus Grimaldus Eps Albingaunenſis.

Ego Ioan. Baptiſta Centurionus Eccleſiæ Marianenſis, & Accienſis Epiſcopus.

Ego Frater Antonius Palietinus Epiſcopus Brugnatenſis.

Ego Leonardus Truchus Eccleſiæ Naulenſis Epiſcopus.

Ego Adrianus Viuentius Eccleſiæ Nebienſis Epiſcopus.

Ego Io. Baptiſta Lomelinus Illuſt. & Reuerend. D. Epiſcopi Lunenſis, & Sarzanenſis Procurator.

Ego Flaminius Nebia Illuſtr. & Reuerendiſſ. D. Eugenij Camutij Epiſcopi Bobienſis Procurator.

CO-

COPIA LITTERARVM
CONFIRMATORIARVM
Synodi prouincialis Genuæ.

R*EVERENDISS. Domine. Cum Illuſtriß. Cardinales Sacri Tridentini Concilij interpretes, quibus, S. D. N. iuſſu, acta Prouincialis tuæ Synodi ſuperioribus menſibus legenda, & conſideranda tradita fuerant, officio ſibi commiſſo functi ſint, & Sanctitas ſua illorum relationem audiuerit; ipſius nunc mandato, eadem Amplitudini tuæ, cum his litteris, remittuntur; vt illa, quemadmodum aptata ſunt, ſic obſeruari curet. Quod eam, pro ſua fide, & perpetua erga ſanctam ſedem apoſtolicam reuerētia, ſedulo facturam, perſuaſum habeo; cui bonam valetudinem, & omnia fauſta a Deo precor.*

Romæ. die 9. Octobris. 1574.

Amplitudini tuæ

Vti frater Philippus Boncompagnus Card.
S. Sixti.

SUPRASCRIPTUM totum volumen conſtitutionum Synodalium, vna cum ſubſcriptionibus, & litteris confirmatoriis, auſcultatum fuit diligenter per me Notarium & Cancellarium Synodi prouincialis, & repertum concordare in omnibus, & per omnia cum originali: Et ideo, in veritatis teſtimonium, Auguſtinus de Franchis Notarius & Cancellarius antedictus, necnon & Cancellarius Archiepiſcopalis Genuæ me ſubſcripſi.

SYNODVS
DIOECESANA IANVENSIS
AB EM.MO ET REV.MO D.
D. STEPHANO
S.R.E. PRESBYT. CARDINALI
DVRATIO
IANVENSI ARCHIEPISCOPO

Celebrata Anno Domini M.DC.XLIII.
Die xxi. Aprilis, & duobus ſequentibus.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.
M. DC. XXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

STEPHANVS
MISERATIONE DIVINA
Tituli S. Laurentij in Pane Perna
PRESBYTER CARDINALIS
DVRATIVS
ARCHIEPISCOPVS
IANVENSIS

Vniuerſo Clero ſuo Salutem in Domino Sempiternam.

OPTABAMVS ſanè quantocyus primam Synodum Diæceſanam in hac noſtra Ianuenſi Metropolitana Eccleſia celebrare, & iam ante tres annos materiam, & decreta opportuna cæpimus præparare; Quando auctoritate & benignitate Pontificis Maximi VRBANI VIII. ad Bononienſem Legationem deſtinati, cæptum opus interrumpere, ac differre coacti, ſemper in animo voluebamus, Cum primum ad noſtram Eccleſiam redire concederetur, tàm ſalubre opus reſumere, & ad

perfectum, quantum in Nobis eſſet, promouere. Idcirco nec expectauimus totam noſtram Diæceſim viſitando percurrere, ſed ex ea parte, quam perluſtrauimus, & ex relatione Parochorum omnium de ſuarum Eccleſiarum ſtatu, & ex inſpectione ipſa, quod Caput erat, huius Ciuitatis, & Cleri, ſatis deprehendiſſe rati, quid ad Dei Cultum conduceret, quid ad Cleri inſtructionem, quid ad ædificationem Populi, & animarum ſalutem, quæue decreta magis eſſent hoc tempore opportuna, manum operi admouimus, præſentem Synodum celebrauimus, ac, Deo dante, compleuimus. In qua Conſilij etiam noſtri fuit, in vnum colligere, ac diſponere, quæcumque vtilia, & praxi commoda, ex prioribus Diæceſanis Synodis per noſtros prædeceſſores celebratis extabant, adiectis inſuper, quæ de nouo ſimilia occurrebant; ſic Miniſtrorum diſpendio & labori parcentes, ac memoriæ conſulentes. Hanc modò Synodum typis impreſſam in publicum proponimus, enixè hortantes omnes, ad quos pro commiſſo munere pertinebit, vt quo ſtudio ac deſiderio pro animarum ſalute hæc nos Synodalia decreta ſanciuimus, eadem ſedulitate ac diligentia ſtudeant adimplere.

CAP.

CAPVT I.

De Fide Catholica profitenda.

CVM præcipuum ſalutis noſtræ fundamentum, primumque Deo placendi exordium, ſit fides, ſine qua Omnipotenti accepti eſſe nequaquam poſſumus; cumque non animo ſolùm, ſed ore etiam ac operibus eandem confiteri ad ſalutem oporteat; S. Concilij Tridentini auctoritate innixi, Conſtitutioneque fel. recor. Pij IV, decreta hæc ad integram eius profeſſionem pertinentia ſtatuimus, & promulgamus.

Quicumque Dignitates, Canonicatus, in Cathedrali Eccleſia, vel Collegiata, vel extra eas, quamlibet animarum curam obtinebunt, ab acceptæ poſſeſſionis die ſaltem intrà duos menſes, Orthodoxæ Fidei publicam emittant profeſſionem, ſeque integram & perpetuam S. R. E. obedientiam præſtituros in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri generalis, iure iurando polliceantur; aliôquin ſciant omnes prædicti fructus ſuos non facere, quinimò ad reſtitutionem teneri, neque captam poſſeſſionem eis vlla ratione ſuffragari.

Eandem fidei profeſſionem in manibus noſtris, ſeu Vicarij noſtri generalis, ex eiuſdem Pij IV. Coſtitutione, Doctoratus lauream, Baccalaureatus gradum, vel aliam quamlibet dignitatem ſuſcepturi, emittere tenentur

nentur, Grammatices quoque, artiumque liberalium profeſſores; Philoſophiæ, legum, ſacræque Theologiæ publici vel priuati lectores, & medicinam, ac chirurgiam exercentes; licèt aliàs, quacumque de cauſa eandem fidei profeſſionem publicè prȩſtiterint; hac tamen quoad Regulares conditione addita, quod ſi intra Monaſterij ſepta, vel honoris gradum ſuſcipient, vel docendi munus exercebunt, in Superiorum ſuorum manibus eos fidem ſufficit profiteri.

Ad eandem fidei profeſſionem emittēdam teneri volumus ante ſuſceptũ munus, Vicarium noſtrũ generalẽ, necnon Vicarios foraneos, Cancellarios, Notarios, cæteroſq; omnes Curiæ noſtræ Archiepiſcopali quomodolibet inſeruientes, ſiue in Ciuitate, ſiuè extrà in quauis Diœceſis parte cõmorantes, ſub pœna priuationis officij.

Iis itaque inhærentes, quæ idem Trident. Concil. decreuit, præcipimus, vt omnes, & ſinguli, qui Eccleſiaſtica beneficia poſtmodum obtinebunt, quique Synodo, vel iure, vel laudabili conſuetudine, intereſſe ſolent, & debent, in Synodo primùm celebranda, ea omnia recipiant, quæ ab eodem Concilio decreta, ac definita ſunt, prædictamque fidei profeſſionem emittant, ſi modò aliàs in Synodis non præſtiterint.

Nomina autem, Cognomina, & Patria, ſingulorũ fidei profeſſionem emittētium, ab vno ex Cancellarijs Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis, in libro ad hoc deſtinato, vna cum die, menſe, anno, cauſa, loco, & perſona, in cuius manibus profeſsi fuerint, & ipſius ſubſcriptione profitētis, deſcribantur, & ad perpetuã rei memoriã aſſeruentur.

CAPVT II.

De Doctrina Chriſtiana.

CVM præcipua Parochi cura illa eſſe debeat, vt quæ ad ſalutis portum perducunt, ſubiectum ſibi gregem accuratiſsimè doceat, nos idcircò Sacri Concilij Tridentini decretis, & prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus inhærentes, omnibus animarum Rectoribus huius Ciuitatis, & Diœceſis, tàm ſæcularibus, quàm regularibus, ſtrictè præcipimus, & expreſsè mandamus, vt omnem ſollicitudinem diligentiamque adhibeant, quò ſinguli vtriuſque ſexus Chriſti fideles ipſorum Curæ ſubiecti, Chriſtianæ Fidei rudimentis imbuantur, & licet in Vrbe, & pluribus Diœceſis locis, per Sodales Chriſtianæ Doctrinæ præſtari hoc munus, de mandato noſtro, ſoleat; adeſſe tamen tunc temporis ipſi debent, & eorum opera, tanquam adiutorum vti, vt grauiſſimo Concilij Tridentini præcepto ſatisfaciant, non vero in alienos humeros aſsignatũ ſibi onus omninò dimittere.

Parochi itaque Diœceſis, tàm ſæculares, quàm regulares, die quolibet feſto, ea, qua frequentior populus ad Eccleſiam horâ conuenerit, clara voce, diſertiſque ac diſtinctis verbis, quæ ab omnibus exaudiantur, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Dei, & Eccleſiæ præcepta, ac Sacramenta, aliquando etiam plura, & vtiliora Chriſtianæ Doctrinæ capita, prout opportunius videbitur, recitent, ſimulque vniuerſos, qui aderunt, hortentur

ad

ad eadem verba, quæ ipſi præibunt, repetenda, vt hac ſaltem ratione, aliquo ea modo percipiant, quæ abſque magno ſalutis diſcrimine ignorare non poſſunt, quod alijs etiam diebus extrà Eccleſiam, cum ijs maximè conentur efficere, qui ouium aliorumque armentorum curâ præpediti rariùs ad Eccleſiam conueniunt.

In locis autem Diœceſis frequentioribus, Parochi Chriſtianæ Doctrinæ Sodalitatem, vbi non eſt, quam primùm inſtituendam curabunt, cui Sacerdotes, Clericos, probatæ etiam vitæ laicos & huic muneri idoneos præficient. Quibus verò in locis huiuſmodi Sodalitas ob incolarum paucitatem inſtitui haud poterit, in ijs Parochi, duos treſue integræ vitæ homines, totidemque mulieres auctoritate grauiores ſaltem eligant, qui pro Chriſtiana pietate id muneris ſuſcipiant, vt pueros puellaſque ſingulis diebus Dominicis ad Eccleſiam Parochialem perducant, à proprio ibi Parocho inſtruendos.

Vt autem pio huic labori libentiùs vacent homines, Parochi, tàm Ciuitatis, quàm Diœceſis, ſæpius populo inter Miſſarum ſolemnia, Indulgentias à Summis Pontificibus ijs conceſſas, qui pueros Chriſtianæ fidei dogmata edocent, enuntiabunt, eoſque monebunt, vt quolibet menſe confeſsi, ſacrâque Euchariſtia refecti, Indulgentiarum theſauros conſequi religiosè contendant.

Clerici autem Parochis inſeruientes, vel eorum Eccleſijs iuxta præſcriptum S. Concilij Tridentini adſcripti, ſcholis interſint. Quibus à Præfecto Doctrinæ

Chri-

Chriſtianæ, vel à Parocho ipſorum fuerint deputati; & in tam pio, ac neceſſario munere obeundo operam ſuam diligentem, ac frequentem præſtent; nam ſi poſtea ad ſacras ordinationes acceſſerint, fidemque à dictis Præfecto, vel Parocho non detulerint, ſe ſcholæ Chriſtianæ doctrinæ ſtatis horis, feſtisque totius anni diebus interfuiſſe, ab ordinum ſuſceptione reijcientur; quod præcipuè ad Parochos Diœceſis extendi volumus, cum Parochi rurales neceſſarijs miniſtris magis careant, quàm vrbani.

Ludimagiſtri, pro ſui muneris cura, ſedulò ſtudeant, vt quos litteris inſtruendos ſuſceperint, eoſdem Chriſtianæ fidei doctrina ſimul imbuant; quod & per ſe ipſos (vt à Leone X. in Concilio Lateranenſi iuſſum eſt) efficere debent, puerisque præcipere, vt dominicis, feſtisq; alijs diebus in Eccleſiam Parochialem, aut alias ad id deputatas conueniant, vbi Chriſtianæ Religionis inſtitutis, atque præceptis erudiantur.

Omnibus, & ſingulis, animarum curam habentibus, alijsque Confeſſarijs, ſeu ſæcularibus, ſeu regularibus, iubemus, vt cum pœnitentium confeſſiones audiunt, eos, de quorum ignorantia dubitant, ſigillatim interrogent, an orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, & decem præcepta Legis, ſatis teneant, & quos ignaros inuenerint, acriter reprehendant, eiſque demonſtrent, quàm turpe, & damnoſum ſit ea, quæ tantopere ad ſalutem conducunt, ignorare, & cum eos abſoluent, præter alias pœnitentias, hoc etiam illis iubebunt, vt ſaltem hæc quatuor potiſſima doctrinę

capita accuratè ediſcant, certumque illis tempus, pro arbitratu ſuo, præfinient, quod tamen aliquam ob cauſam ſemel, atque iterum prorogare licebit, ſicque eo temporis interuallo tranſacto, eadem illos ignorare depræhenderint, eorum confeſſiones ampliùs non audient ſed ad nos tranſmittent, aut ſaltem nos conſulent.

CAP. III.

De dierum feſtorum obſeruatione.

PArochi omnes, præſertim foranei, ſubiectum ſibi gregem ad feſtorum obſeruantiam totis animi viribus hortentur, & quàm turpe, ac damnoſum ſit, ea, quæ Deus iuſſit, homines præterire oſtendant; ſinguliſq. diebus Dominicis inter Miſſarum ſolemnia, feſtos dies, quos Sancta Mater Eccleſia ſequenti hebdomada iubet obſeruandos, populo denuncient, moneantque omnes vtriuſque ſexus Chriſti fideles, quod his diebus ſacroſancto Miſſæ ſacrificio intereſſe, & à quouis ſeruili opere abſtinere tenentur. Et ſi ſecus facere auſi fuerint, lethali culpę, cuius Deo rationem reddent, pœnis etiam in noſtra conſtitutione de feſtorum obſeruantia edita contentis, quàm præſenti decreto innouamus, obnoxij fient.

Ij deñique pariter parentes admoneant, filios, & filias, nec non famulos, & præſertim gregis Paſtores, ad Eccleſiam mittere, & vt Miſſæ ſacrificio interſint, teneri, & ſi prædictis impedimento fuerint, lethali culpæ eſſe

obno-

obnoxios:nec puellas nobiles ob matrimoniales de ipſis denunciationes, nec viduas, ob recentes ſuorum virorum mortes, cuiuſuis prauæ conſuetudinis ſpecie, excuſari.

Sed vt feſti dies magis obſeruentur, laicis, & alijs omnibus iubemus, vt dies feſtos eâ, quâ fideles homines decet reuerentiâ concelebrent, nec opificijs exercendis incumbant, non lignis, triticis, oleo, vino, alijsque ſimilibus vehendis, & aſportandis, nec illis denique rebus gerendis, quæ in prædicta noſtra conſtitutione, pro feſtorum obſeruatione ſigillatim, recenſentur: non libelli, imagines, ſigna, aliaque huiuſmodi venalia, quamtumuis leuia circumferantur; neque vllas inſuper feſtis diebus executiones fieri mandamus, niſi quæ à iure nominatim permittuntur; non collectas, taleaſue, quæ focularia dicuntur, in oppidis, pagis, villis, vt ex deprauata conſuetudine quibuſdam in locis fieri intelleximus, ijſdem diebus exigi, eo tempore, quo ſacra fiunt, vel conciones, ſeu proceſſiones habentur, aut alia diuina officia celebrantur, quas etiam collectas, taleaſue in Eccleſia, aut cæmeterio, vel in Eccleſiæ atrio exigi nullo modo permittimus.

Vicarij foranei in Parochijs ſuæ curæ commendatis eligant ſyndicos, ſeu cuſtodes feſtorum, viros fideles, & idoneos, ad pietatém potius augendam, quam ad lites, & iurgia concitanda, qui feſtorum violatores ſincerè accuſent, & pœnas dare cogant, nempe duarum librarum pro quolibet, & qualibet vice, applicandorum Societati Sanctiſſimi Sacri loci, in quo reus deliquit, vel alteri

ſocietati piæ, ſi illa deſit, iudicio Vicariorum: minori quoque, ſeu maiori pro modo culpæ inflictâ pœnâ, cuius ſemper tertia pars ſyndico danda erit, ſed non ideò miniſtri Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis ſegniores fiant, in eodem dierum feſtorum cultu per Diœceſim procurando.

Dies feſtos Sanctotum, in quorum memoriam, & honorem Eccleſiæ parochiales Deo dicatæ ſunt, etiam eorum, qui ex præcepto Eccleſiæ, vt feſti, non coluntur, Rectores earum deuotè, ac religiosè celebrare debebunt, & Parochianos ad eos celebrandum inducere, decenti ornatu Eccleſijs pro reddituum ratione, adhibito, & Miſsâ cum miniſtris, ſacris veſtibus indutis (ſi commodè fieri poterit) cantatâ. Qui id abſque iuſto impedimento præſtare neglexerint, duorum aureorum pœnâ mulctabuntur.

Dies, quo Eccleſia Parochialis conſecrata eſt, ſingulis annis ſolemni ritu neque vnius tantum, ſed plurium Miſſarum ſacrificio, & decenti templi ornatu, agatur. Si quando contingat, Annunciationis Dominicę feſtum aliaſque id genus ſolemnitates iuxta Romanæ Eccleſiæ ordinarium in alium diem transferri, eodem ipſo die in noſtra Diœceſi vbique eas celebrari iubemus: ita vt Miſſarum celebrationes in eumdem diem transferantur. Qui verò hoc non ſeruauerint, in eos ſeuerè animaduertemus.

Si quis verò ex noſtris executoribus, conniuentibus oculis, vel amicitię cauſa, vel donis, ſeu pecunia ſecretò acceptis, feſtorum dierum inobſeruantiam aliquo modo

do permittere deprehenſus fuerit, priuationis officij, carceris etiam, & alijs arbitrio noſtro pœnis obnoxius ſit. Feſtos dies de præcepto eos tantum eſſe declaramus, quos Sanctiſs. D. N. Papa Vrbanus VIII. expreſſit in ſua conſtitutione de dierum feſtorum obſeruatione, qui ſunt infraſcripti.

Dominici ſcilicet dies totius anni: Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti; Circumciſionis; Epiphaniæ; Reſurrectionis cum duobus ſequentibus ferijs; Aſcenſionis; Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus ferijs; Sanctiſſ. Trinitatis; Solēnitatis Corporis Chriſti; & Inuentionis S. Crucis: necnō Feſtiuitatū Purificationis, Annūciationis, Aſsūptionis, & Natiuitatis Deiparæ Virginis; Dedicationis S. Michaelis Archangeli; Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ; Sanctorum Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Iudæ, & S. Matthiæ, Chriſti Domini Apoſtolorum.

Item S. Stephani Prothomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentij Martyris S. Silueſtri Papæ, & Confeſſoris; S. Ioſephi etiam Confeſſoris, & S. Annæ. Solemnitatis omnium Sanctorum, atque vnius ex principalioribus patronis, in quocunque Regno, ſiue Prouincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Ciuitate, Oppido, vel Pago, vbi hos patronos haberi, & venerari contigerit.

Pro quo feſto principalioris patroni, in vniuerſa huius noſtræ Metropolis Prouincia, Conceptionem Deiparæ Virginis Sereniſſimæ Reipublicæ Protectricis, deputauimus iam, ac denuò deputamus: & pro principaliori

iti-

itidem patrono huius Ianuenſis Ciuitatis, vnà cum eius ſuburbijs tantum D.Bernardum;vt ex præcepto debeant obſeruari.

CAP. IV.

De Eccleſijs earumque immunitate.

NVlli liceat, Eccleſias Capellas, Oratoria publica, aliauè ædificia huiuſmodi de nouo erigere, vel altaria conſtruere, ſiue de loco ad locum transferre, abſque noſtrâ, aut Vicarij noſtri licentiâ in ſcriptis impetratâ, ſub pœnis in ſacris canonibus conſtitutis, alijſque arbitratu noſtro imponendis.

Præcipimus igitur omnibus Parochis, ac Rectoribus, in quorum Eccleſijs tale aliquid de nouo attentatum fuerit, vt de eo nulla interpoſitâ morâ, nos certiores reddant; quod ſi facere neglexerint, meritas pœnas luent; qui verò in ſuis Eccleſijs, aut Parochijs, Altaria, aut Oratoria huiuſmodi erigi, aut ædificari, licentiâ à nobis prius non impetratâ, conſenſerint, ſiue permiſerint, pœna decem aureorum, locis pijs applicandorum, multabuntur. Quæ verò legitima auctoritate conſtructa fuerint, ab ijs, ad quos ſpectant integra, & clauſa ſeruentur: Altaria itidem indotata, niſi decenter linteis, pallijs coperta, ac alijs rebus neceſſarijs inſtructa, & ornata fuerint, poſt vnam, & alteram patronis factam monitionē, diruantur, niſi aliter à nobis prouiſum fuerit.

Nulla Eccleſia abſque noſtra licentia diruatur, & ſi

id fie-

id fieri aliquando contingat, cęmenta, lapides, tigna, omnis demum dirutæ Eccleſiæ materia, alicui profano vſui, nobis inconſultis non inſeruiat, ſed ad alterius ædificandę, ſi fieri poteſt reſeruetur. Quæ enim ſemel Deo dicata fuerint, in profanum vſum conuerti non debent, & ne vllo vnquam tempore diruta Eccleſia in ſordidum vſum conuertatur, Parochus, intra cuius fines erit, inuigilet, vt quanto citius per eos, ad quos pertinet, crux aliqua conſpicuæ altitudinis, & magnitudinis, ad præſcriptum Sacri Concilij Tridentini apponatur.

Pernoctationes, & nocturnas vigilias, in quibuſuis Eccleſijs, tam ſæcularibus, quàm regularibus, & in Confraternitatum Oratorijs fieri omninò prohibemus, non obſtante quacunque conſuetudine, quam in præſenti decreto damnamus, & reprobamus.

Præcipimus etiam ſub pœna interdicti incurrenda, vt ſpirituales quæcunque exercitationes, quæ in Eccleſijs fiunt, quibuſque mulieres interſunt, ante vigeſimam quartam horam omninò terminentur.

Eccleſiæ omnes, præſertim Diœceſis, deflectente Sole, & pulſata Salutatione Angelica, ſtatim claudantur; mane verò non ante Auroram, eadem Angelica Salutatione pulſata, aperiantur: quare curent Parochi omnes, & alij Eccleſiarum ſuperiores, vt nunquam internoctu apertæ remaneant, quamuis frequens ad eas deuotionis cauſa concurſus habeatur; ſi quis autem contrafecerit, carceris, & alijs pœnis arbitrio noſtro punietur.

Sicut Eccleſiaſtica Immnnitas Dei præcepto, & canonicis ſanctionibus conſtituta, quàm diligentiſſimè cuſto-

dien-

dienda eſt, neque permittendum, vt confugientibus ad Eccleſias, & loca ſacra, aliqua vis contra Sacros Canones inferatur. Ita ſummopere cauendum, ne facinoroſi ad eam, quaſi ad aſylum, in ſacrarum Conſtitutionum fraudem ſe recipiant, vt noua ſub clypeo Eccleſiæ committant delicta: quare hoc præſenti decreto præcipimus quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis: præſertim verò Parochis, ne aliquem exulem, damnatum, vel criminoſum, qui in loco libero ſit, in eorum Eccleſias, vel domos recipiant, niſi nobis conſultis. Et ſi illis minimè præmonitis, & ſcientibus tales homines ad huiuſmodi loca ſe contulerint, vltra tres dies, non permittant eos in dictis locis commorari, ſed ſtatim nos certiores reddant, qui conſiderata perſonarum, locorum, & temporis conditione, & facti qualitate, decernamus id quod Eccleſiaſticæ immunitati, ſacrorum locorum honeſtati, & Canonum menti conſentaneum iudicabimus, ſub pœna ſuſpenſionis incurrenda, & alijs nobis arbitrarijs.

C A P. V.

De honeſtate, & reuerentia in Eccleſijs ſeruanda.

CVm Eccleſiam ſuam Dominus, Orationis domum dixerit, & ementes, & vendentes ab ea eiecerit, nos profectò docuit quanta cum deuotione, ac veneratione, ad illam, quaſi ad omnipotentis Regiam ſit accedendum, in qua ipſe cum reliquo Sanctorum cœtu, glorioſus exi-

ſtit, & deuotas, piaſq. mortalium preces è maieſtatis ſuæ excipit ſolio; Vt igitur Eccleſijs debitus cultus habeatur, præcipimus omnibus Parochis; præſertim verò foraneis, vt ſæpiùs inter miſſarum ſolemnia, ijs potiſſimùm diebus, quibus frequentior Populus ad Eccleſiam confluit, cunctis ſibi ſubiectis in memoriam reuocent Bullam Pij Quinti, qua deambulationes, ſtrepitus, clamores, vani ſermones, confabulationes, negotiationes, & ſimilia prohibentur, omnemq. impendant operam, vt fideles in Eccleſijs omni cum modeſtia, & veneratione verſentur; nec agant, quæ diuina turbare poſſint officia, vel ſupremæ oculos lædere maieſtatis; ſed Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vtroque genuflexo adorēt, & precibus, ac eleemoſynis Deum ſibi placatum, non ſacrilegijs infenſum actionibus reddere ſtudeant.

Propterea ad maiorem Eccleſiæ decorem, decretis Sacri Concilij Lateranenſis, ac Tridentini, & Conſtitutionis felic. record Pij V. inhærentes, comeſſationes, potus, cantus, choreas, aliaſq. ſæculares actiones, non in ipſis modo Eccleſijs, ſed etiam circa eas, intra triginta pedum ſpatium, fieri prohibemus, ſub pœnis, quæ in dicta Pij V. Conſtitutione continentur, necnon alijs arbitratu noſtro imponendis.

Præcipimus etiam, & expreſsè mandamus, ne in Eccleſijs, ligna, dolia, aut alia huiuſmodi, quamuis ſint Eccleſiæ, aut Parochi, retineantur, ſub pœna duorum aureorum, locis pijs applicandorum.

Pauperes emendicantes, dum ſacra fiũt, aut diuinæ preces funduntur, vagari per Eccleſiam, & eleemoſynas

petere, nullus Eccleſiarum ſuperior, ſiue Regularis, ſiue Sæcularis permittat, ſed ad Eccleſiarum fores adſtare eos iubeat, ſub pœnis in Bulla Pij V. & in Conſtitutione edictali per nos hac de re edita, contentis, quam præſenti decreto innouamus, & confirmamus.

Statuimus inſuper, & mandamus, ne quis impoſterum per Eccleſiam obambulando, candelas vendere audeat, neque earumdem candelarum, aliarumq. rerum venalium in ipſis Eccleſijs mēſas retinere; liceat tamen extra portas candelas vendere. Huic edicto qui non paruerit, duorum aureorum pœna mulctabitur locis pijs applicādorum; in Sacriſtas verò, qui huiuſmodi venditiones permiſerint, vnius aurei pœnam ſtatuimus.

Cum autem valdè ſit à Chriſtiana alienum religione, vt ad Eccleſias ornandas adhibeantur, quę non deuotionē, ſed mentes potiùs intuentium facilè ad illicitas cogitationes, & vanas curioſitates alliciunt, edicimus, ne quis in Eccleſijs ornandis periſtromatis, aulæiſq. vtatur, obſcænis figuris intextis, neque etiam pictæ imagines, aut ſigna adhibeantur, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum Sanctitati repugnantium, formam, ſpeciemq. præſeferunt; In nullo etiam publicarum ſupplicationum, vel proceſſionum apparatu, quæ obſcœnitatem, aut ethnicorum indignitatem præſeferunt, adhibeantur.

Ne diuinorum verò officiorum preces ſtrepitu, clamoreq. ludentium interrumpantur, præcipimus, ne ante, vel propè Eccleſias, præſertim quo tempore ſacra, diuinaq. officia celebrantur, ac Chriſtianæ doctrinæ rudimenta

menta traduntur, choreæ, ſaltationes, ſpectacula, ludique cuiuſuis generis exerceantur; ac præſertim pilæ, & alearum, ex quibus ſtrepitus, clamoreſq. faciliùs proueniunt, ſub pœnis carceris, alijſq. arbitrarijs.

Quoniam ab ijs, qui habitant in tabernaculis Domini omnis impudicitiæ ſuſpicio penitus remouenda eſt; jubemus, ne ædibus Canonicalibus Cathedralis Eccleſiæ, aliarumq. Eccleſiarum Parochialium, tàm Ciuitatis, quàm Diœceſis, mulieres vllæ, quæ non ſint ætatis quinquaginta annorum commorentur: nec laicis ædes ipſæ locentur, ſine noſtra ſpeciali licentia, & qui huic noſtro decreto non paruerint, pœna priuationis affictus, & alijs arbitrarijs punientur.

CAP. VI.

De Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

CVm Sanctorum in cælo regnantium reliquię debito à Chriſti fidelibus cultu venerari fas ſit, fieri id profectò nequit, ſi à quouis hominum genere, & leuem quamlibet ob cauſam vulgariter pertractentur; quamobrem ea, qua decet veneratione apud homines haberi exoptantes, ijs dumtaxat, ad quos ſacrarum, & diuinarum rerum pertinet adminiſtratio, earum contrectationem permittimus; Quare non laici homines, non cuiuſuis confraternitatis ſodales, non pijs cuiuſpiam loci, etiã ſi in illo reliquiæ aſſeruentur, Rectores, dum ſint laici vllo eas modo contrectare præſument. Sed ſi ad aram

maximam ſolemnibus diebus tranſportari, aut populo oſtendi, vel in proceſſionibus deferri opus erit, à Sacerdote accenſis luminibus præcedentibus, pluuiali ſi habeatur, ſuperpelliceo ſaltem & ſtola induto, id fiet.

Dum populo oſtenduntur, earum oſtenſor Sacerdos, ad maiorem in animis pietatem excitandam, vniuſcuiuſque reliquiæ nomen patrio ſermone proferat, & cum illis populum benedicet, abſque eo quod ex vaſculis, aut thecis, in quibus conditæ ſunt, extrahantur, aut manibus pertractentur, nec quālibet ob cauſam, ſed piæ tantum venerationis gratia oſtendentur, diligenti habita dierum, ac perſonarum ratione, quibus ſunt oſtendendæ.

Neque hæc oſtēſio ob lucrum aliquod fiet; nam Chriſtianam pietatem, & deuotionem à fidelium animis eliminat: & cum in publicum proferuntur, nihil verbo, nutu, vel ſigno directè, vel indirectè, pro eleemoſyna, vel alio prætextu; peti, aut exigi volumus, ſi quæ tamen vltrò oblatæ fuerint à Chriſtifidelibus eleemoſynæ, recipi permittimus; dummodo in ipſarum reliquiarum ornamenta, aut pios vſus conuertantur.

Veſte ſerica inuoluantur, & ſi Martyrum extiterint, rubei coloris; ſi Virginum, vel Confeſſorum, albi, ſi Chriſti Domini, aut Beatiſſimæ Virginis Matris eius MARIAE, veſte auro intexta contegantur, neque in capſis; aut armarijs recondantur, in quibus veſtes ſacræ, aut vaſa aſſeruantur, neque in tabernaculo, vbi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur, ſed in honeſtiore Eccleſiæ, aut Sacriſtiæ loco, & in vaſculis decentibus, & quo per opes licuerit, pretioſioribus, ſeorſum

con-

conſeruentur, claui obſeratæ, clauiſq. ipſa per Parochũ, aliumue Eccleſiæ ſuperiorem cuſtodiatur, etiamſi alia clauis à laicis forſan retineatur.

Ad ægrotos cuiuſcunque ſint conditionis, & qualitatis deferri, nec etiam deuotionis cauſa, aut ſub quouis alio prætextu, niſi obtenta à nobis, vel à Vicario noſtro Generali, ſpeciali facultate, prohibemus.

Quæ certæ, & indubitatæ, atque continua populi veneratione approbatæ alicuius Sancti habentur, Sancti illius nomen in membranula grandioribus litteris ſcriptum habeant alligatum, quod ſi litteræ vetuſtate corroſæ ſint, renouentur, ſeruatis nihilominus corroſis ad inſcriptionis antiquitatem teſtificandam, quæ verò certa nomina non habent, Sanctorum tamen reliquiæ creduntur, alio vaſculo includantur, his verbis in membrana deſcriptis, ſacrę reliquiæ incertorum.

Sacræ illæ cereæ formę innocentiſſimi agni à Summo Pontifice conſecratę, magna cum reuerentia à Chriſti fidelibus teneri, & conſeruari debent; Quare prohibemus, & interdicimus ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendâ, ex Conſtitutione Gregorij XIII. Ne quiſquam Agnos Dei per Romanos Pontifices benedictos, depingere, minio notare, vel aureum, aut alium colorem illis ſuper imponere, vel aliud quidpiam ſuperinducere audeat, neque depingi, aut minio obliniri mãdet.

Nouarum Reliquiarum exhibitionem, & publicam propoſitionem, etiam in Eccleſijs Regularium, S. Concilij Tridentini decreto interdictam, & prohibitam eſſe ſciant omnes, niſi priùs à nobis recognitæ, & approbatæ fuerint.

Mo-

Monemus etiam, ex Decreto S. Congregationis Rituum, non licere quorumuis hominum imagines, ſeu effigies depingi, vel exculpi cum ſplendoribus, ſeu radijs, vel laureolis, vel quouis alio venerationem, & cultum præſeferente ſigno, nec ad eorum ſepulchra tabellas, aut imagines affigi, vel appendi, nec lampades accendi, niſi fuerint à S. Sede Apoſtolica canonizati, vel Beati declarati.

CAP. VII.

De ſacris Imaginibus.

NE ſacrarum imaginum vſum in ſancta Dei Eccleſia ab ipſis vſque Chriſtianæ Fidei receptum primordijs, totq. Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate firmatum; temerè deprauari contingat, Sacri Concilij Tridentini, & nouiſſimæ S.D.N. VRBANI VIII. Conſtitutionis auctoritate innixi, prohibemus, ne Sanctorum imagines procaci venuſtate, ſtatu, habituue corporis, aut forma, quæ in aliquâ ſui parte Chriſtianæ minus honeſtati conueniat, pingantur, aut cœlentur, multoq. magis, quæ falſi dogmatis, aut alicuius in fide erroris occaſionem præbere poſſint, ſed tantùm quæ ex ſacris Scripturis, Patrumq. traditionibus habentur, & probatorum auctorum teſtimonijs corroborantur.

Omnibus etiam Eccleſiarum Rectoribus, tàm ſæcularibus, quàm Regularibus iubemus, ne in aliquo illis ſubiecto loco, inſolitam aliquam imaginem, niſi à nobis, vel à Vicario noſtro Generali fuerit approbata, expo-

ni patiantur; quod ſi ſecùs facere auſi fuerint, tàm qui eas admiſerint quàm, qui poſuerint, necnon earum opifices deletis priùs, & ablatis imaginibus, temporalibus, & ſpiritualibus pœnis ſeuerè punientur.

Vt Sáctiſſ.° Crucis vexillo debitus cultus ac veneratio habeatur, abuſuſq. ſi qui ſunt penitùs tollantur, præcipimus, ne Sanctiſſimæ Crucis inſignia ponantur, vbi pedibus proteri poſſint, aut ſordibus inquinari, neuè in locis ſordidis, ac contemptibilibus pingantur, ſculpantur, aut quomodolibet exprimantur; quod de ſacris etiam omnibus imaginibus dictum volumus.

Imagines fractæ, vel quæ ſordibus, vel ſitu obductæ ſunt, honeſto decori; ſi fieri poteſt, reſtituantur; alioquin ſi tales ſint, vt veriſimiliter, vel riſum moueant intuentibus, vel deuotionem quauis ratione imminuant, eas omninò aboleri, aut comburi, cineres autem integrè colligi. atque in Sacrario, aut ſub altari recondi demandamus.

CAP. VIII.

De Miraculis.

VT in miraculis recenſendis, & admittendis, tàm ſuperſtitio, quàm quilibet turpis quæſtus arceatur, & credulæ gentis ſimplicitati conſulatur, ſub interdicti, & ſuſpenſionis pœnis, omnibus Diœceſis noſtræ Parochis mandamus, vt neque ipſi incerta, & nullius fidi auctoris teſtimonio probata miracula, populis ſuis recenſeant, aut ab alijs recenſeri permittant, neque intra

tra Parochiarũm ſuarũ limites vlla noua miracula, quouis modo geſta, quamuis certa videantur, publicent, aut ab alijs ſinant publicari, aut ad illa populi concurſus fieri patiantur, neq; illorũ prætextu pecunias, candelas, & votiuas imagines, argenteas, aut cereas aliaſq. cuiuſuis generis oblationes, accipiant, aut recipi ſinant, niſi rem priùs nobis ſtatim nunciauerint, vt omnia cognoſcere, & quæ pro Dei gloriâ, & Sanctorum honore, præuiâ, & maturâ deliberatione iuxta S. Concilij Trident. decreta agenda videbuntur, ſtatuere valeamus.

Vbi autem populari concurſu, plebiſq. rumore, aliquid pro miraculo proclamatur, Parochus, vel Eccleſiæ Rector, niſi alia ratione popularem tumultum coercere poterit, Eccleſiæ fores claudat, ne falſa pro veris recipiantur, eaq. Parochus tolerando comprobare cenſeatur.

CAP. IX.

De Incantationibus, Diuinationibus, Sortilegijs, & Superſtitionibus tollendis.

CVm compertum ſit, humani generis hoſtem ſemper quærere, quem deuoret, ac perpetuo contendere varijs ſub rerum ſpeciebus fidelium animas illaqueare, atque decipere; peſſima Idolatriæ, diuinationum, incantationum, ſuperſtitionum, veneficiorum, ſortilegiorum, hiſq. ſimilium ſemina, vaferrimus hoſtis callidè animis inſeruit, vt paſſim imperitos, ac curioſos à vero cultu auerteret.

Nos

Nos igitur, vt tàm funeſtam, ac nefariam peſtem, ab ouibus noſtræ Curæ creditis depellamus, omnes, & ſingulos admonemus, eſſe excommunicatos, & à S. M. E. ſinu alienos, huiuſmodi Magos, Incantatores, Sortilegos, Diuinatores, Maleficos, cæteroſque alio quouis nomine nuncupatos, qui ſuis artibus, corpora, menteſque hominum, morbis, & inſania, leuare, & opprimere poſſe, falſo profitentur; eoſq. qui ex corporis lineamentis, ac figuris, alijſque rebus quibuſcumque Dæmonum inſtinctu ſe futura enunciare, abſconditos theſauros inuenire poſſe, dementi iactant temeritate; eos item, qui Iudiciariam Aſtrologiam exercent, cuius vſum grauiſſima lege Sixtus V. & Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. prohibuerunt, atque ex ſyderum conuerſionibus, ac inſpectione liberas hominum actiones, euentuſque incertos pronunciant, vel alia aliquâ de cauſâ Incantationes, Diuinationes, Sortilegia, Superſtitioneſque exercent.

Graue illud etiam omnique iure prohibitum ſcelus eſt, quod ſine maxima diuini Cultus offenſione fieri nequaquam poteſt, maleficia ſcilicet alijs diſſoluere maleficijs. Quamobrem Parochi, & Concionatores populos commoneant, huiuſmodi morbos, Deo permittente propter peccata ſæpiùs contingere, ipſoſque maleficiatos hortentur, vt contrito corde animarum ſuarum labes Deo, & Sacerdoti confiteantur, & profuſo fletu, eleemoſynis, & orationibus Domino ſatisfaciant.

CAP. X.

De Hæreticis denunciandis.

ET ſi neminem ex ouibus regimini noſtro paſtorali ſubiectis in hac Ciuitate, & Diœceſi, Dei gratiâ, hæreticâ labe infectum eſſe credimus; Parochis tamen vrbanis, & Diœceſanis hoc maximè iubemus, pro ea, quâ nos decet Paſtorali ſollicitudine, vt ſedulò animaduertant, ne in ſuis Parochijs vllus ſit hęreticus, aut eo nomine ſuſpectus, vel quouis modo de catholicâ fide malè ſentiens, quod ſi huiuſmodi aliquem cognouerint, eius nomine nobis, aut S. Inquiſitionis Tribunali ſtatim deferãt.

Gregem etiam ſibi commiſſum moneant, debere omnes, & ſingulos, quàm primum, nobis, vel Sanctiſſimo Inquiſitionis Officio renunciare, ſi quem fortè ſciuerint, quid quam dixiſſe, aut feciſſe, propter quod huius criminis nomine probabiliter ſuſpectus eſſe poſſit, atque illos etiam, qui Diuinationibus, ſortilegijs, & cuiuſuis generis incantationibus aliquid geſſerint, quod ſapiat hæreſim. Hi enim vt ſuſpecti hæreticæ prauitatis denunciandi ſunt, & iuxta ſacrorum Canonum inſtituta puniendi.

CAP. XI.

De Apoſtatis Corrigendis.

CVM conſtet hominum animos grauiter ab ijs lædi, qui ex ſuis Monaſterijs exeuntes alibi commoran-

tur, nec ſine magno animarum ſuarum periculo euagantur; præcipimus, & mandamus, vt nullus religioſus, qui in hac Ciuitate, & Diœceſi habitat, extra Monaſterium commoretur; Quod ſi quis id ſibi quacunque ratione licere prætendet, is ſpatio decem dierum ſua omnia priuilegia, diſpenſationes, aut licentias Vicario deferat noſtro; quod ſi ſecus facere auſus fuerit, ſciat ſe pœna carceris, & alijs contra Apoſtatas à Summis Pontificibus Pio IV. & Pio V. ſtatutis puniendum.

CAP. XII.

De Maledicis, & Blaſphemis Compeſcendis.

QVoniam nullum eſt crimen, quod ità Deum offendat, & eius iram aduerſus humanum genus prouocet, quàm blaſphemiæ ſcelus, quod in ipſum, vel Beatiſſimam Virginem, alioſque cælites patratur; Idcircò prouidere exoptantes, ne impius huiuſcemodi Dei contemptus, & turpiſſimum hoc ſcelus, fidelium animos regimini noſtro ſubiectorum, Diaboli perſuaſione, inuadat, & occupet, Sacrorum Canonum, & Pontificum decretis, & præſertim Pij V. Conſtitutione pœnas contra blaſphemos conditas innouamus, aliaſque pro qualitate delicti, arbitrio noſtro infligendas eſſe ſtatuimus.

Parochi itaque pœnas contra blaſphemos in præfata Pij V. Conſtitutione contentas, vernaculâ linguâ, bis ſaltem in anno, inter Miſſarum ſolemnia, populo de-

nuncient, ſimulque moneant, vt nobis, aut Sanctæ Inquiſitionis Tribunali, ſi quos blaſphemantes ſciuerint, reuelent; doceantque, denunciantes decem annorum Indulgentiam conſequuturos pro qualibet vice, quâ blaſphemantes denunciauerint ex conceſſione Leonis Decimi in Lateranenſi Concilio.

CAP. XIII.

De Vicarijs Foraneis.

CVM in partem noſtræ ſollicitudinis deputandi ſint Vicarij Foranei; eos volumus eſſe perſonas in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutas, ſin minùs Eccleſiarum Rectores ad id munus aptos. Quocirca omnibus, & ſingulis qui huc uſque Vicariatus foranei munus obiuere, mandamus de cætero, vt à demandata Prouincia abſtineant, donec à nobis huiuſmodi munere decorentur.

Sciant eligendi, ſe fore arbitrio noſtro amouibiles, & graues daturos pœnas, ſi in ſuo officio malè ſe geſſerint.

Iuriſdictione vtantur iuxta eis demandãdâ in litteris eorum patentibus, à quorum tamen ſententijs ad nos volumus interponi poſſe appellationem.

Declaramus nullam præcedentiam ſuper alios in Clero habere, exceptis congregationibus, quas facient de mandato noſtro, in quibus principem locum obtinebũt.

Nec in Parochorum ordinariã iuriſdictionem in his, quæ ad curam animarum ſpectant, ſe poſſe ingerere ratione huius muneris.

Sin-

Singulis ſaltem menſibus, electi in Vicarios foraneos, Presbyteros curam animarum habentes, & alios Sacerdotes, ac Miniſtros in ſacris conſtitutos, conuocent in aliquam Parochialem Eccleſiam, vel alium commodiorem locum ipſis benè viſum, ad duo ſaltem proponenda, & excutienda dubia ad regimen animarum ſpectantia, quæ à ſingulis per Orbem Parochis proponenda curabunt, vt ſingulorum auditis ſententijs, quid agendum ſit, ſtatuatur, eiuſque quæſtionis deciſio ad nos in fine cuiuslibet bimeſtris tranſmittatur, cui reuidendæ deputabimus, qui nos poſteà de omnibus certiores faciant.

Parochi omnes, & alij quicunque in his, quæ ad ſuum munus ſpectant, Vicarijs foraneis parere non negligant.

Inuigilent prædicti Vicarij ſuper obſeruantia Feſtorum ne ijs diebus aliquid illicitum, vel ſeruile fiat, contrà Sanctæ Eccleſiæ præcepta; Inobedientes coerceant, mulctis etiam pijs operibus applicandis; quas omninò exigant.

Habita notitia alicuius delicti ad forum Eccleſiaſticum pertinentis, de eo inquirant, cautè informationes aſſumant, ad nos quantocius fideliter tranſmittendas.

Qui ad hoc munus fuerint aſſumpti, meminerint omnium paternam curam habere, & de moribus, & vita Clericorum ſub ſuis limitibus degentium exquirant ſedulo.

Si quæ ad vtilitatem animarum, & ad regimen noſtræ paſtoralis ſollicitudinis conducentia viſa fuerint,

nos

nos admonendos curent, vt ſalubriter in Domino prouideatur.

Congruo tempore quolibet anno viſitent regionem ſuam, & ſi quos repererint ſuo munere abuti, & ſuæ, & aliorum ſalutis eſſe immemores, ad nos deferant, vt naſcenti morbo obuiam ire poſsimus.

CAP. XIV.

De Officio Parochi.

Animarum cura multa indiget ſapientia, doctrina, & charitate, eſt enim regimen animarum, ars artium, à qua ſalus, vel interitus fidelis populi exurgere poteſt. Et quemadmodum quilibet procerum ſuorum mores ſequitur, ita ad exemplum paſtoris fidelis anima mores ſuos componit; & in eum, tanquam in exemplar virtutum quiſque oculos conuertit. Igitur vineam Domini Parochus colere ſtudeat, oues ſuas agnoſcendo, & quia dux eſt earum ad æternam ſalutem conſequendam, ijs vtatur auxilijs, quibus ad optatum finem peruenire poſſit.

In primis in Sacramentis adminiſtrandis ſit ſedulus, & facilem omnibus ſe prębeat, doceat ea inſtituta à Chriſto Domino, ad gratiam conſequendam, & augendam; ſine qua Paradiſi ianuas ingredi nemini licet; inuitet, hortetur omnes ad ea ſuſcipienda, & fructum indè prouenientem eis declaret.

Omnes ſæculi curas Parochus à ſe abijciat, iactet co-

gitatum ſuum in Domino, nam ipſe eum enutriet, cum ipſi ſit cura de nobis. Pro faciliori cognitione ſtatus ſuæ Parochiæ, habeat, & formet infraſcriptos libros.

Primum in quo omnium ſuorum Parochianorum nomina, cognomina, ætatem annotet. Nec non eorum, qui in Parochia domicilia conducunt de nouo.

Secundum, in quo deſcribantur nomina Baptizatorum, ac eorum parentum, nec non leuantium, quæ omnia poterunt deſcribi iuxta formam in Rituali Romano indicatam.

Tertium, qui contineat nomina Confirmatorum, ac eorum parentum, ac ſuſcipientium.

In quarto ſcribantur Matrimonia contrahentium nomina, & cognomina, originis loca, ac teſtes, nec non adnotetur, ſi aliqua diſpenſatio in eo contrahendo interueniat, tam reſpectu impedimenti contractus, quàm omiſſionis alicuius denunciationis.

Quintus, habeat ſcripta decedentium nomina, cognomina, locum ſepulturæ, & in exitu quæ Sacramenta ſuſceperit defunctus, adnotetur.

In ſexto ſint deſcripta bona Eccleſiæ, nomina, cognomina debitorũ, ſumma canonis, quæ quotannis ſoluetur, inſtrumentum, cum nomine Notarii, diei, menſis, & anni confectum, de quibus etiam teneatur inuentarium facere, & Curiæ noſtræ Archiepiſcopali præſentare ad noſtri notitiam.

Et quia Parochus eſt Sponſus Eccleſiæ, in qua eſt intitulatus, curet Sponſam ſuam ornare, pro vt decet.

Primò, vt aqua luſtralis munda in vaſe nitido ſemper

ad-

adſeruetur ad deuotionem populorum augendam, & ad effectum eius benedictionis conſeruandum.

Secundò, Altaria, in quibus ſacrum peragitur, curet eſſe munda, apta, & ornata ijs paramentis, & alijs, quæ præſcribuntur in Miſſali.

Tertiò, Baptiſteriū, & loca, in quibus ſacra Olea ſeruantur, habeant conditiones, & qualitates requiſitas, prout in Viſitatione fuit à nobis præſcriptum.

Quartò, pauimentum eiuſdem, & alia, expurgare, & & verrere faciat. Ad Parochum ſpectet, & maximè per rura, & pagos, vbi commodè fieri poteſt, pro conuenientibus in Eccleſia, vt ſit ſegregatus locus vtriuſque ſexus populi, & quando ſacrum, & alia diuina officia celebrantur, non permittat ante fores Eccleſiæ aliquos morari.

Parochus teneatur ſaltem ijs diebus Miſſam celebrare, in quibus populus tenetur ex præcepto audire, quæ Feſta enumerantur in Bulla nuperrimè emanata à Sanctiſs D.N.D. Papa Vrbano Octauo, & diebus Dominicis eadem Feſta, atque Ieiunia, quæ per hebdomadas incidunt, populo indicabit.

Meminerit præterea quotidiè ſtatis horis ad recitandam Salutationem Angelicam, & ad orandum pro Defunctis ſono campanæ populum inuitare, ac ciere.

Et quia Feſtis præcipuè diebus populum erudire tenetur, in ijs non diſcedat à ſua Eccleſia; quod ſi fortè inuitetur ad celebrandum Feſtum Titularis alicuius Parochi vicinioris, non diſcedat, niſi alio ſubſtituto Sacerdote, qui Miſſam eo die populo celebret, & alia Parochi munia obeat.

Si

Si contingat Parochum ægrotare, vicinior illius curam habeat, & eidem Sacramenta præbeat, vel eo legitimè impedito, alium viciniorem curet ſubſtituendum, qui adimpleat, quæ neceſſaria ſunt. Quando Parochus migrat è vitâ, tunc viciniorem defuncto Parochum ſubrogamus, cum poteſtate, & auctoritate omnia exequendi, & adminiſtrandi, quæ ad curam animarum neceſſaria, & opportuna videbuntur, tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus; præſtita tamen interim cautione coram nobis, vel Vicario foraneo, de fideli adminiſtratione, & ratione reddendâ ad omne noſtrum mandatum; & teneatur facere inuentarium de omnibus, tàm ad Eccleſiam, quàm ad Parochum, vel ſucceſſorem ſpectantibus, & interim Vicarium foraneum, vel nos certiores faciat, vt de opportuno remedio prouidere poſſimus.

Ad funus prædicti Parochi defuncti, Sacerdotes omnes eiuſdem plebis conueniant tempore congruo, & pro expiatione animæ eius Miſſas celebrent, preces ad Deũ, pro ea effundant, idq charitatis officium gratis præſtent, niſi ab ijs, ad quos funus ſpectat, aliquid vltrò fuerit oblatum.

Sciant Parochi extra Parochias non poſſe pernoctare, ſed vnuſquiſque domicilium habeat, ſaltem intra fines Parochiæ ſuæ ſitum, & quanto commodiùs fieri poteſt, propè Eccleſiam.

Conueniant Parochi ſaltem ſingulis menſibus coram Vicario foraneo ad diſcuſſionem tàm caſuum conſcientiæ proponendorum, quàm aliorum, quæ neceſſaria cenſentur pro regimine Eccleſiæ; In Vrbe autem con-

 ueniant

ueniant coram nobis, vel præſide à nobis conſtituendo.

Parochi per Diœceſim in die Sabbati Sancti ad fontem baptiſmalem benedicendum, Archipresbyterum adeant, vel alium Sacerdotem mittant, ſi ipſi impediti fuerint in adminiſtrandis Sacramentis; In Ciuitate omnes Metropolitanam Eccleſiam adeant.

Inter Miſſarum ſolemnia Parochi doceant Populum fugam vitiorum, & virtutum comparationem; aliquod præcipuũ ex Euangelio currenti ſemper illi explanando.

De more diebus feſtis à prandio ſono campanę pueros euocent ad doctrinam Chriſtianam addiſcendam, & eis ſemper intonent obſeruantiam præceptorum decalogi, & Eccleſiæ.

De Pauperibus, Orphanis, Peregrinis, Viduis, & nubilibus puellis, præcipuam curam gerat, vt ipſis, in quãtum poſſit Parochus tàm in ſpiritualibus, quàm in corporalibus ſit adiumento.

Demum inuigilet ſuper grege ſuo, quàm ſæpiſſimè viſitando ſuam Parochiam, ſi quos repererit eſſe publicos peccatores, aut alijs præbere anſam peccandi, iuxta Domini præceptum, fraternâ erga tales correptione vtatur, vt fratres ſuos lucrifaciat, alioquin ad nos deferat, vt eorum ſaluti conſulatur. Errantes in viam curet reducendos, eos arguat, obſecret, & increpet in omni patientiâ, & doctrinâ, & tandem ſi in ſuo Ouili quid contagioſum adinueniat, reſecabit, & arcebit; Meliùs eſt enim, vt pereat vnus, quàm vniuerſitas.

CAP.

CAP. XV.

De Sacramentorum adminiſtratione.

PRæcipua Parochorum cura in Sacramentis ritè, ac diligenter adminiſtrandis ſita erit; & vt deuotè, ac reuerenter à fidelibus ſuſcipiantur. Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Romano Rituali deſcriptum, non ſolum quoad Sacramentorum ſubſtantiam, ideſt materiá, & formam, ſed etiam quoad ſolemnitates, ac ceremonias, exactè obſeruent.

Idcircò librum Ritualis apud ſe habeant, ex eoq. Sacramentorum formas, & alias ſacras preces legendo recitent, etiamſi alioqui eas memoria teneant.

Sancta ſanctè tractanda eſſe, ſeq. in hoc ſacro miniſterio ab omni mortali labe puros eſſe debere, meminerint, & promptos, quacumque hora vocati, etiam cum ſuo incommodo, quandocumque ſubditorum neceſſitas poſtulauerit.

Ab omni auaritiæ nota, vel ſuſpicione ſe alienos oſtédant; ſubditos tamen hortamur in Domino, vt ſe erga Paſtores ſuos gratos, & munificos reddant, iuxta laudatas, & probatas huius conſuetudines regionis, attenta maximè, reddituum tenuitate, & ſacerdotum inopiâ.

Vaſa ad Sacramentorum miniſterium deſeruientia, munda, & decora ſint, ac diligenter cuſtodiantur: Locorum claues, quibus Sanctiſſima Euchariſtia, Baptiſmalis aqua & ſacra Olea recluduntur, tutò ſeruentur; nec alijs, niſi Sacerdotibus notis, & fidis Parocho cócredátur

Quia ſolis Parochis Sacramentorum adminiſtratio ex officio competit, nulli alteri Sacerdoti, niſi per nos approbato, excepta Sacroſanctæ Euchariſtię diſpenſatione, & ſecluſa neceſſitate, à Parocho committatur.

CAP. XVI.

De Sacramento Baptiſmi.

BAptiſmus in Parochiali tantum Eccleſia, vel in qua fontis vſus à nobis conceſſus ſit, ſolemniter conferatur; Vrgente tamen neceſſitate, & mortis periculo, in quocumque loco, abſque alia ſolemnitate dari poterit, ac debebit. Quod ſi poſtea ſuperuiuat infans, ad Eccleſiam deferatur, ibiq. ſacræ ceremoniæ ſuppleantur.

Infantibus quamprimum Baptiſmum conferri procuretur, nec vltra octo dies dilatio permittatur, ſub pœna excommunicationis, in qua re Parochorum vigilantia, alienam negligentiam excitabit.

Expoſitis, niſi certum documentum Baptiſmi eis collati appareat, ſub conditione conferatur.

Obſtetrices eſſentialem ritum, & formam baptiſmi, propter pericula in partu frequenter occurrentia, probè calleant: ideoq. nonniſi notæ, & probatæ Parocho artem exercere ſinantur.

Quandocumque ex vrgentia periculi baptizatus domi fuerit infans, diligentiſſimè inquirat Parochus de ſufficienti infuſione aquæ, & integra prolatione verbo-

rum:

rum:atque vbi dubium aliquod deprehendat baptiſmum ſub conditione repetat.

Nomina, quæ in baptiſmo imponuntur, ne turpia, aut ridicula ſint, vel falſorum numinum, aut ethnicorum hominum memoriam referentia: ſed illorum potiùs, qui Chriſtiana religione, & pietate excellentes, ſuis exemplis ad virtutem excitare, & apud Deum patrocinijs valeant adiuuare.

Ad leuandum Baptizatum de ſacro fonte, non admittur, qui fidei rudimenta neſciant; qui excommunicatione innodati noſcantur; qui proximo Paſchate non communicauerint; & qui nondum quintum decimum ætatis annum attingant: neque abſque noſtra expreſſa licentia cuiuſuis ordinis Regulares.

Admittantur tantum vnus vir, vel vna mulier, vel vnus, & vna ſimul, qui ſciāt quam ſpiritualem cognationem ad matrimonium impediendum, & dirimendum contrahant, & quam obligationem ad inſtruendum de fidei myſterijs, & bonis moribus baptizatũ, ſi quis infantẽ priuatim ex neceſſitate baptizatũ tenuerit, idem, ſi cōmodè haberi poſſit, in ſupplēdis ceremonijs interueniat.

Fons Baptiſmalis ſit lapideus, ac benè nitidus, & ligneo ciborio aptè clauſus: habēs in apice Crucē vel imaginē Saluatoris, aut D.Io.Baptiſtæ, & decenti veſte contectus: Habeat ſacrarium, in quod aqua ad baptizandum effuſa dilabatur.

Aqua Baptiſmalis, non in vaſe vitreo, aut ligneo, ſed ſaltem ſtañeo, aſſeruetur; & ſacra olea ad vſum baptiſmi in vaſculis, ſi haberi poſſint, argenteis, ſin minùs ſtañeis,

neis, vel intra eumdem fontem, vel in alio decenti, & apto loco benè clauſo, cuſtodiantur.

Hæc aqua, & ſacra olea, ex Cathedrali Eccleſia in Ciuitate, ex Archipresbyteralibus ad ſingulas Parochias eis ſubiectas quotannis diſtribuantur. Nonniſi Sacerdoti, vel clerico in ſacris ordinato, ſi fieri poſſit, deferenda committantur: atque in vaſculis ita ſolidis, quæ frangi non poſſint: & intra arculam claue obſeratam, ex qua per viam extrahi non poſſint.

Habita nouorum copia, ijs ſolis, & non ampliùs veteribus vtantur Parochi, ſed aqua baptiſmalis, quæ ſuperfuerat in baptiſmale ſacrarium effundatur, ſacra olea comburantur, vel in lampade ante Sãctiſſimam Euchariſtiam, vel in alio decenti vaſe, vna tum goſsypio, in quo erant imbibita, & cineres ſimiliter in ſacrarium immittantur.

CAP. XVII.

De Sacramento Confirmationis.

ANte Confirmationem intimetur, & publicetur per Parochos, de mandato Archiepiſcopi dies, & locus, quo adminiſtranda erit. Moneatur Populus de eius vtilitate, & virtute, ac ne ſemel confirmati, rurſus accedant. Moneatur de præparatione requiſita, præſertim puritate & prçuia expiatione ab omni labe mortali: quç eadem, ſi commodè fieri poſſit, proximè ante adminiſtrationem omnibus in memoriam reducantur.

Ad ipſam Confirmationem ſeiunctim mares, & fœminæ

næ diſponantur, ad mares ſuſcipiendos ſoli viri adhibeãtur Patrini, ad fœminas ſolæ mulieres adhibeantur Matrinæ. Sciantq. omnes ſpiritualis cognationis, & ſuæ obligationis vim, ſicut in baptiſmo. Vt etiam arceantur ab hoc officio, qui ibidem excluſi ſunt: ac inſuper, qui adhuc confirmati ipſi non eſſent.

Poſt Confirmationem omnes confirmati benedictionem expectent; omniumq. nomina, eorumq. Patris, & Matris, & a quibus Patrinis, ſeu Matrinis ſuſcepti ſint, in libro deſcribantur, qui deinceps à Parocho in ſingulis Eccleſijs aſſeruetur.

CAP. XVIII.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

AVguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſemper in quacumque Parochiali Eccleſia aſſeruetur; Debetq. quàm decentiſſimè cuſtodiri intra Tabernaculũ, extrà, ſi ſit è ligno, deauratum, intùs panno ſerico exornatum, & firmiter obſeratum, cuius clauem deauratam eſſe conueniet; nec quicquã aliud intra illud recondatur.

Retineantur particulæ conſecratæ in Pyxide argentea, intus etiam in operculo deauratâ, in cuius apice crux emineat, & pro ijs ad Infirmos deferendis habeatur, alia Pyxis, cuius operculum vncinulis, vel denticulis cum vaſe firmiter adaptetur.

Renouentur identidem, ſaltem intrà ſingulas hebdomadas, eſtate, & intra duas hyeme: & fragmenta, quæ ſu-

ſupererunt, à Sacerdote in Miſſa aſſumantur.

Ante altare, in quo Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, indeſinenter lampas diù noctuq. colluceat, & vbi non ſuppetunt ſufficientes redditus pro impenſa, Populus Parochiæ omnino ſupplere compellatur.

In Oratorijs verò, vel Capellis, tàm publicis, quàm priuatis, aut alijs Eccleſijs, non habentibus priuilegium à Sede Apoſtolica; Nullo titulo, vel prætextu, hoc Sanctiſſimum Sacramentum adorandum aſſeruetur, ſub excommunicationis pœnâ, ipſo facto incurrenda, reuocantes omnem, & quamcumque licentiam, à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris forſan conceſſam, ſed nec etiam in Miſſis, abſque expreſſa noſtra licentia, in ijſdem Oratorijs, vel Capellis miniſtretur.

Quando publicè ad orationem exponitur, duodecim ſaltem lumina in altari reſplendeant, & aliqui orantes ſemper aſſiſtant.

Habeatur ad hunc effectum Oſtenſorium Argenteū, intra quod translucido vitro ad conſpectum Populi ſacra hoſtia recludatur, quæ deauratæ inſeratur lunulæ, ita aptatæ, vt aperiri poſſit, & à fragmentis, ſi fortè adhæreant, expurgari.

In nulla Eccleſia, etiam Regularium, pro cauſa publica, abſque expreſſa licentia noſtra, gratis concedenda, exponatur, pro cauſa autem priuata, intra tabernaculum apertum exponi poſſit, ita vt ſacra Hoſtia non videatur, iuxta Decretum S. Congregationis, in Oratorijs autem ſub pœna interdicti, ipſo facto incurrenda, & ſub pœna ſuſpenſionis, ſimiliter ipſo facto incurrenda Sacer-

doti

doti contrauenienti, nullo modo exponi liceat, reuocãtes quamcumque licentiam, aut conſenſum ex quouis titulo, vel quomodolibet ad exponendum præſtitum.

Sollicici ſint Parochi ad Euchariſtiam poſcentibus miniſtrandam, nec peluiculam circumferri iubeãt, vel permittant, etiam in Paſchate, ad eleemoſynas à communicantibus exquirendas.

Non admittant pueros, & puellas ad communionem, niſi ſufficiẽter de myſterijs fidei; & præſertim de ſumma huius ſacramenti maieſtate eruditos; neq. tamen eos diù diſtineant, ſed prematurè inſtruant, vel inſtruendos curent.

Publicos peccatores, etiam in Paſchate, arceant, nec niſi correctos, & de ſua emendatione conuenientia documenta præbentes, admittant.

Diligenter inuigilent, vt omnes, & ſinguli de ſua Parochia habiles, in Paſchate Eccleſiaſticũ pręceptum cõmunionis adimpleant. Qui nonniſi in ſua Parochiali Eccleſia, vel de manu Parochi, aut alterius Sacerdotis de eius commiſſione Euchariſtiam ſuſcipiendo ſatisfacient; ſed nec Parochi cuiquam dent licentiam pro Paſchali præcepto in aliena Eccleſia communicandi.

Ab ijs, qui Paſchali tempore fuerint abſentes, quamprimum cum redierint, documentum confeſſionis, & communionis adimpletæ exquirant, vel tunc ad id perficiendum adigant.

Tranſactis quindecim diebus à Paſchate, nomina eorum, qui non communicauerint, ad nos, vel in villis ad Vicarios noſtros foraneos deferant, vt opportuno reme-

dio, pro eorum ſalute, & aliorum exemplo prouideatur.

Ad miniſtrandam maximè Sanctiſſimam Euchariſtiam Infirmis periclitantibus, paratus ſemper ſit Parochus, ac etiam pueris in mortis periculo conſtitutis, non deneget, etiamſi adhuc in ea ætate non ſint, qua ſolent ad communionem admitti: dummodo tamen tanto iudicio polleant, vt dignitatem, atque vtilitatem huius ſacræ refectionis agnoſcant, in longioribus quoque morbis, pluries eidem infirmo poterit miniſtrare, etiam pro viatico.

Deferat in Pyxide, vel albo ſerico coopertâ, & per villas repoſitâ in burſa ſimiliter albi coloris, & cordulis ad collum appenſa, pro maiori ſecuritate.

Tàm per Vrbem, & oppida, quàm per villas, ſub Baldachino, ſeu vmbella procedat, ſono etiam campanulæ præcedente, ſuperpelliceo, & ſtola indutus.

Adſint in Comitatu, quo plures poſſint, ex deuotis fidelibus; ideoq. campanæ ſono in Eccleſiam conuocentur; & præcipuè accurrant qui in Societate Corporis Chriſti, per ſingulas Parochias erecta, vel erigenda, deſcripti ſunt. Et in itinere Sacerdos cum comitantibus Pſalmos, & Hymnos alternatim recitando incedat.

Adhibeatur condecens intorticiorum, & luminum copia, & per villas præſertim laternæ aliquæ; ne ventis, & pluuijs extinguantur, & cogantur populi impenſas neceſſarias miniſtrare.

In reditu ad Eccleſiam per Ciuitatem, & oppida habitata, idem ordo ſeruetur: quocircà aliquas ſacras particulas ſupra numerum ab initio ſacerdos in vaſe repo-

nat;

nat; ac tandem regreſſus benedictionem Populo impertiat; in omnibus quæcumque in Romano Rituali præſcripta ſunt, obſeruet.

In ſingulis Eccleſijs, tàm Regularibus, quàm ſecularibus, in quibus conſuetum eſt, Feria Quinta in Cœna Domini, Chriſti Corpus in loco ſeparato reponi, non in oſtenſorio, ſed in calice, vel intra capſulam, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ recondatur, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium.

CAP. XIX.

De Sacroſancto Miſſæ ſacrificio.

COgitent Sacerdotes omnes, quantâ, & quali præparatione ad altare Domini accedere, quantâ, & quali animi puritate, deuotione, ac reuerentia, hoc tam excelſum, & ſacroſanctum ſacrificium celebrare, ac in conſpectu cæleſtis Curiæ Diuinæ maieſtati offerre debeant.

Noui Sacerdotes, antequam celebrare incipiant, ſacras Miſſæ ceremonias probè calleant, & promptè exercere aſſueſcant, & in Ciuitate à noſtro Ceremoniarum Magiſtro, in Diœceſi à Parocho approbentur.

In nouis Miſſis, tripudia, choreæ, & quæcumque alia prophana, ac ſæcularia lætitiæ ſigna ne fiant, nec eleemoſynæ importunè quærantur ſub pœna applicationis ad alia loca pia.

Ante Miſſam deuotè aliquãtiſper oret Sacerdos: ideo-

que in Sacriſtia adſit Oratorium; ſeu ſcabellum ad genuflexionis vſum, ſupra quod extet Crucifixi Imago, vel alia ad deuotionem excitandam idonea, & iuxta illud tabella precum, ante & poſt celebrationem miſſæ recitandarum, appoſita.

Dum Sacerdos ſe induit ſacris veſtibus, ne colloquia miſceat, ſed orationes in Miſſalis rubrica deſcriptas deuotè recitet.

Ad altare è Sacriſtia pergens, ne oculos per Eccleſiam intorqueat, ſed demiſſos teneat, nec properanter, ſed modeſtè, & cum grauitate incedat. Biretum clericale quadratæ figuræ in Crucis ſimilitudinem efformatum gerat in capite.

In Miſſa celebranda, clarè ac diſtinctè, quæ recitanda ſunt, proferat: quæ ſecreto dicenda, ne elatâ voce pronunciet; à nimia feſtinatione caueat. Rubricas, & Ceremonias omnes noui Miſſalis Romani exactè obſeruet: nec vllum nouum ritum inducat, nec quicquam in verbis, aut geſtis detrahat, vel adiungat.

Miſſa celebrata, in Sacriſtiam eodem ordine redeat, & in reditu, ac dum ſe ſacris veſtibus exuit, conſuetas pro Domini laude preces fundat: & rurſus aliquantiſper ad gratias Deo agendas, vberioremq. fructum ex tanto Sacramento, & ſacrificio percipiendum, in oratione permaneat.

Exteri, & Peregrini Sacerdotes ad miſſam celebrandam in nulla noſtræ Diœceſis Eccleſia abſque noſtra licentia in ſcriptis oſtendenda, ab Eccleſiarum Sacriſtis, vel Rectoribus admittantur.

In

In Eccleſijs Monialium, præter proprios Capellanos à nobis approbatos, vel approbandos, & ordinarios, ac extraordinarios Confeſſarios, nullus abſque ſpeciali noſtra licentia celebrabit.

Nullus Capellanus, tempore, quo in aliqua Eccleſia obligatus eſt ſatisfacere, abſcedat, vel omittat, niſi de noſtra, vel Rectoris licentia, & niſi alio ſacerdote, qui ſuppleat ſubſtituto. Quod ſi ille non fecerit, fructus non faciat ſuos, & Rector ipſe prouideat, ſtipendio pro rata, ex prouentibus illius, qui defecit, exigendo, & ad nos deferat puniendum.

Qui Capellam ſiue perpetuam, ſiue ad nutum, in certa Eccleſia obtinuerit, non ſatisfaciet in alia celebrando, etiam de Patroni conſenſu; & ſecus faciens ad reſtitutionem pro rata fructuum teneatur.

Similiter qui in vno certo Eccleſiæ altari ex fundatione, aut inſtitutione Capellæ celebrare debebit, non ſatisfaciet in alio altari celebrans, niſi occurrente impedimento, aut maiori Eccleſiæ ſeruitio, non contradicente Patrono, & iubente, vel conſentiente Rectore.

Qui ad certam miſſam celebrandam addictus eſt, illam, & non aliam dicat diebus liberis: cum alioqui diebus feſtis, & duplicibus, non niſi currentem debeat celebrare.

Qui per ſe ipſum alicui Capellaniæ inſeruire tenetur, ita exequatur, nec ſine legitimo impedimento à nobis approbando alium Sacerdotem poterit ſubrogare.

Quicumque ſtipendium pro miſſis celebrandis, ſiue in perpetuum ſiue non manualiter accipient, adamuſ-

ſim

ſim obſeruent, nouiſſima decreta de celebratione Miſſarum iuſſu S. D. N. Papæ VRBANI VIII. cum ſuis declarationibus edita.

Quod ſtipendium taxamus in ſolidos decem monetæ cartularij, hoc eſt nonam partem ſcuti argentei Genuæ, impreſſionis coronæ, pro ſingulis miſſis priuatis, ſiue manualibus.

Ad recognoſcenda autem onera, tàm Miſſarũ, quàm anniuerſariorum, in noſtra Cathedrali Eccleſia deputamus adm. RR. Canonicos Nicolaum Andream Queirolum Primicerium, Io Andream Corradum, & Pantaleonem Raggium, in alijs vero Eccleſijs Ciuitatis nobis ſubiectis, adm. RR. Io. Baptiſtam Caluum Præpoſitum S. Donati, Stephanum Neſpolum Præpoſitum Vinearum, Ioannem Aloyſium Albertonum Prępoſitum Sancti Petri. Hieronymum Buronum Rectorem S. Marci, & Iacobum de Ferrarijs Rectorem S. Torpetis.

CAP. XX.

De Pœnitentiæ Sacramento.

PRæter Parochos, nulli alij Sacerdotes, ſiue Seculares, ſiue Regulares, abſque examine, & noſtra approbatione, etiamſi in alia quacumque Diœceſi approbati ſint, noſtrorum ſubditorum confeſſiones excipere poterunt, excepto tamen mortis articulo, in quo adhuc præſente, & parato Parocho, vel Confeſſario approbato, ſimplex Sacerdos id non præſumat.

Me-

Meminerint Confeſſarij omnes, qua diligentia, & pietate in hoc ſacro miniſterio, & pœnitentibus adiuuãdis ſe gerere debeant, & quàm ab omni auaritiæ, & cupiditatis ſpecie ſe remotos, ac liberos profiteri; quocircà caueant, ne deuotionis, aut pœnitentiæ iniungendæ prætextu, ſibi, aut ſuæ Eccleſiæ eleemoſynas, etiam promiſſis dicendis perquirant; ſponte tamen oblatas recipere non prohibentur.

Collocentur confeſſiolalia intrà Eccleſiam; in parte commoda, non occulta, ſed patenti, cratibus, ſeu ferreis laminis perforatis, per quas pœnitens, & Confeſſarius loqui, ſeq. audire valeant, pijs imaginibus, ante quas pœnitentes genufleƈtãt, & tabella caſuum nobis reſeruatoru n, atque in Bulla Cœnæ contentorum apud ſedem Confeſſarij munita.

Non audiantur confeſſiones in priuatis domibus, vel Oratorijs, & Capellis, abſque expreſſa noſtra licentia, aut ex cauſa infirmitatis, Sacerdotum tamen Confeſſiones vbique audiri poſſint, & quorumcumque virorum in ædibus canonicalibus; nec in Eccleſijs Monialium abſque ſimili noſtra licentia, niſi quod, ſi Parochiales ſint, id ſolummodo Parocho, eiuſque Vicario ſemper liceat.

Nullus Parochus, vel Confeſſarius, etiam Regularis, confeſſiones in aliena Eccleſia audiat abſque noſtra licentia, vel conceſſione Reƈtoris eiuſdem Eccleſiæ, & qui in aliena Parochia accerſitus ab infirmo, eius confeſſionem exceperit, fidem auditæ confeſſionis relinquere, vel aliter certiorem facere Parochum debeat.

Mu-

Mulierum confeſſiones in Eccleſia numquam ante faciem Confeſſarij, ſed tantùm per cratem interpoſitam audiantur, nec manè ante auroram, aut ſerò poſt ſalutationis Angelicæ ſignum, niſi fortè in diebus maximi concurſus, veluti hebdomadæ Sanctæ, aut alijs caſibus neceſſitatis, & quando ex cauſa morbi, aut aliàs de noſtra licentia in priuatis ædibus, ſeu domeſticis Oratorijs audiuntur, apertæ ſint ianuæ, ita vt videri, ſed non audiri poſſint.

Confeſſarij ſeculares, dum hoc Sacramentum in Eccleſia adminiſtrant, ſuperpelliceo, & ſtola induti adſtent.

Parochi ſuos ſubditos interdum monere, & hortari ad hoc tam ſalutare remedium frequentandum non omittant: & præſertim, ne ad finem anni in extremos hebdomadæ Sanctæ dies confeſſionem protrahere, aſſueſcant, ſeq. paratos, & faciles quouis anni tempore ad hoc miniſterium exhibeant.

Medici quoque Conſtitutionem fel. record Pij V. circa admonendos ægrotos, quos viſitauerint de confeſſione facienda, obſeruare non negligant.

CAP. XXI.

De Caſibus reſeruatis.

INhærentes ſalubri Eccleſię inſtitutioni, & conſuetudini, qua atrociora quædã crimina ſolent Epiſcopo reſeruari, vt ſaltem ob difficultatem, & laborem abſolutio-

lutionis obtinendæ, ab ijs perpetrandis praui homines abſterreãtur, quos Dei amor, aut timor aliàs non compeſcit, ſequentes caſus nobis reſeruandos matura deliberatione cenſuimus, prout præſenti conſtitutione, & decreto ad noſtrum beneplacitum reſeruamus. Prohibentes omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tàm ſecularibus, quàm Regularibus, tàm approbatis, quàm approbandis, omnem in his abſolutionem, præter quam in mortis articulo; Et qui ſecus facere præſumpſerint, incurrent ipſo facto excommunicationis pœnam Summo Pontifici reſeruatam, iuxta Decretum S. Congregationis à Clem. VIII. & Paulo V. felic. record. Summis Pontificibus confirmatum. Reuocantes etiam omnem licentiam hactenus conceſſam ab huiuſmodi caſibus abſoluendi à die, quâ ſinguli Confeſſarij huiuſmodi reuocationis notitiam quomodolibet habuerint.

Caſus Reſeruati.

1 Blaſphemia Hæreticalis.

2 Omnes, & quæcumque ſuperſtitiones, cum expreſſa dæmonis inuocatione, vel cum Sacramentorum, aut ſacramentalium abuſu.

3 Homicidium voluntarium, non tantùm quoad committentes, ſed etiam quoad mandantes, & conſulentes, & quomodolibet cooperantes effectu ſequuto.

4 Procuratio abortus, fœtu animato, & effectu ſequuto.

5 Oppreſſio Infantis, ſiue proprij, ſiue alieni, facta in lecto, infra ætatem vnius anni.

6 Vitium ſodomiticum ex conſuetudine, etiam cum fœminâ; Crimen beſtialitatis; Copula carnalis cũ perſona Infideli; Violenta virginis ſtupratio.

7 Inceſtus in primo, vel ſecũdo conſanguinitatis gradu, & in primo affinitatis, vel ſpiritualis cognationis, vel cum perſona, quam in ſacramentali confeſſione quis audiuit.

8 Attentatio pudicitiæ Monialium, vel quauis ratione ſollicitatio, aut obſcœna cum illis, ſiue voce, ſiue ſcripto locutio (Hæc verò peccata carnalia contenta in vj. vij. & viij. cap. reſeruantur, quoad viros tantùm, eoſque excedentes pubertatis annos.

9 Falſa teſtificatio in iudicio in damnum tertij.

10 Crimen falſi à Notarijs in ſuo officio commiſſum, & cõtractus vſurarij, etiam palliati, ab ipſis ſcienter celebrati.

11 Fraus in conſtituendo patrimonio pro Clericis ordinandis in ſacris.

Præterea adimimus omnibus, & ſingulis Cõfeſſarijs, tàm Secularibus, quàm cuiuſuis ordinis Regularibus, facultatem abſoluendi quamlibet perſonam à peccato qualiſcumque copulæ carnalis, cum ipſomet confeſſario; quam facultatem declaramus, numquam eſſe mentis noſtræ concedere in generali licentia abſoluendi à caſibus reſeruatis.

CAP.

CAP. XXII.

De extrema Vnctione.

INuigilet attentè Parochus, ne hoc Sacramentum vlli Infirmo ad mortem vergenti in ſua Parochia deſit: ideoq. opportuno tempore miniſtrare procuret, & quando ad ægrotum longiùs à Parochiali Eccleſia diſtantem Sanctiſſimum viaticum defert, tunc quoque vaſculum ſacri Olei, vt morbo, & periculo exigente ſucceſſiuè illum inungat.

Expediet, vt infirmo adhuc ſenſibus, & rationis compote hoc extremum ſubſidium exhibeat. Quod ſi fieri non potuerit, præbeat etiam moribundo, ſenſibus deſtituto, quamuis id non ante petierit; dummodo contrariam voluntatem non oſtenderit.

Si moribundum ita deficientem inueniat, vt vereatur, ne tantùm vitæ ſpatium ſuppetat, quo diſtinctè per ſingulas partes integram formam proferre valeat, poterit ſub vna forma dicendo: Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti per viſum, auditum &c. per ſingulas partes inungere, & Sacramentum perficere. Quando inter vngendum, obiret infirmus, miniſter à proſequendo deſiſtat: cum dubitat, ſub conditione dicat, ſi adhuc viuis.

Cum non alijs, quàm Infirmis, de vita periclitantibus, hoc ſacrum remedium proſit, miniſtrari non debebit ſanis, ad mortem damnatis, vel bellum, aut lon-

gam nauigationem ingreſſuris; nec mulieribus in partu laborantibus; poterit tamen ſenibus morti proximis, qui non ſine morbo decedunt.

Et cum non alijs quã ijs, qui aliquãdo deliquerint, hoc idẽ remediũ adaptetur, præberi non debebit pueris, nondum rationis vſum adeptis, nec perpetuis amentibus. Debebit tamen pueris, qui in rationis vſu vixiſſe videantur, & amentibus, qui antea fuerint compotes rationis, ac etiam furioſis, quando poſſit abſque irreuerentia Sacramenti.

Cum etiam nonniſi ſemel in eodem morbo, & periculo exhibendum ſit, poterit tamen iterum exhiberi, ſi infirmus ex periculoſo morbi ſtatu conualeſcens; denuò in ſimile periculum relabatur.

Dum hoc Sacramentũ miniſtratur ægroto, domeſtici, & adſtantes deuotas pro illius ſubſidio ad Deum preces effundant; & Sacerdos clericum quoque, ſi fieri poteſt, ſuperpelliceo pariter indutum adſtantem habeat, qui ei inſeruiat, peluiculam ad ſuſtinendum vaſculum ſacri olei, & goſſypium ad abſtergendas partes inunctas manu teneat, & ad preces ſacerdotis reſpondeat.

Vaſculum ſacri Olei, mundum ſit, ac nitidum, ex argento, vel ſaltem ſtamno confectum. Deferatur ad infirmos burſa ſerica contectum, quam violacei coloris eſſe conueniet; Aſſeruetur in Eccleſia, non in domo Parochi; In feneſtella aliqua decenter ornata, & claui benè clauſa, cum inſcriptione deſuper: Oleum ſanctum, vel oleum infirmorum, aut ſi inibi alia etiam ſacra olea ad vſum baptiſmi ſeruentur, cum inſcriptione: Olea ſa-

cra.

cra. Et reliqua, quæ dicta ſunt de recipiendis, cuſtodiendis, deferendis, ac renouandis ſacris oleis pro Baptiſmo, de hoc etiam obſeruentur.

CAP. XXIII.

De Ordinis Sacramento.

QVia ex prouido perſonarum delectu ad clericales ordines tantoperè Eccleſiaſtica diſciplina dependet. Idcircò veſtigijs Sacroſancti Tridentini Concilij inhærentes, ſancimus.

Vt quicumque primam Clericalem Tonſuram, vel minores, vel maiores ordines ſuſcipere cupiunt, aliquo tempore antea per edictum publicum præfigendo, in Curia noſtra compareant, & coram nobis, vel Vicario noſtro Generali, vel alio per nos deputando ſe ſiſtant: ſuumq. nomen, cognomen, parentes, & patriam ſcripto proferant, vt idonea de ijs informatio, quatenus opus fuerit, capi, & haberi poſſit.

Qui tunc primum clericalem ſtatum, ideſt, primam Tonſuram aſſumere cupient, fidem Baptiſmi pro ætate, & natalibus, confirmationis ſuſceptæ, ac de vita, & moribus; & immunitatis ab omni canonico impedimento à Parocho exhibeant, & omnino alicuius Parochialis Eccleſiæ ſeruitio adſcribantur.

Qui ad vlteriores ordines promoueri deſiderant, pręter teſtimonium Parochi, & Magiſtri de vita, & moribus, deferant, etiam fidem qualiter habitum, & Tonſuram

ram geſtauerint, Eccleſiæ, cui fuerint adſcripti, inſeruiuerint, Doctrinæ Chriſtianæ vacauerint, confeſſionem, & ſacram communionem diebus ſaltem ſolemnioribus frequentauerint, & in præcedentibus ordinibus, quos ſuſceperunt, laudabiliter miniſtrauerint.

Ad maiores verò ordines promouēdi publicationem etiam à Parocho in Parochiali Eccleſia fieri procurent, eiuſq. litteras teſtimoniales afferant publicationis factæ, & qualiter nullum fuerit ei impedimentum detectum; teſtimonium etiam ætatis ad illum ſacrum ordinem, quem poſtulat, requiſitæ.

Qui ſacrum Subdiaconatus Ordinem ad titulum beneficij ſuſcepturi ſunt, fidem collationis ſibi factæ, & pacificæ poſſeſſionis, eiuſq. ſufficientiæ oſtendant.

Qui ad Titulum Patrimonij, quod quidem non minùs ſcutorum triginta quinque argenti coronę, & ſtampæ Genuæ in annos ſingulos eſſe debebit, inſtrumentum aſſignationis, ſeu donationis ſibi factæ, aut pacificæ poſſeſſionis producant, præuio iuramento, duorum ſaltem teſtium, de libera conditione bonorum in patrimonium deſtinatorum, ita vt periculum euictionis ab alijs non patiantur; addito etiam iuramento eiuſdem donantis, qualiter ſinceré, abſque dolo, vel fraude, aut ſimulatione, aut retroceſſionis promiſſione, patrimonium illud aſſignat, fidem etiam publicationis eiuſdem patrimonij à Parocho in eius Eccleſia factæ.

Sciatq is, qui ad aſſignati ſibi patrimonij titulum ordinatus erit, ſe non poſſe illud poſtea retrocedere, alioué pacto alienare, diſtrahere, aut permutare, abſque ex-

preſſa

preſſa noſtra approbatione, & licentia non concedenda, niſi interim ipſe aliquod ſufficiens beneficium, aut penſionem, vel æquiualentem annuum redditum acquiſiuerit.

Regulares, qui ad nos pro ordinibus petendis, & ſuſcipiendis confluent, litteras dimiſſorias à ſuis Prælatis afferant, & fidem de ordinibus antea ſuſceptis, alijſque qualitatibus ad reliquos, quos petunt ordines, requiſitis. Et præterea. ſi ex aliena Diœceſi aduenjant, fidem, qualiter in illa ordinationes eo tempore habendæ non ſint.

Clerici etiam, qui ex aliena Diœceſi ad nos acceſſerint, præter litteras dimiſſorias, ac teſtimoniales de conditionibus requiſitis, ſui Ordinarij, ſimilem etiam fidem præſentare debebunt; Et qui ex noſtra Diœceſi dimiſſorias ad alienum Epiſcopum poſtulabunt, ſciant ſe adhuc apud nos conſuetum examen ſubituros; & poſt ſuſceptum ordinem intra duos menſes, nos de eo certiores facere debeant.

Examinatores à nobis conſtitutos, & in poſterum conſtituendos pro ordinandis, vt etiam pro approbandis ad confeſſiones audiendas, ſeriò monemus, vt diſtrictè hoc examinandi munus exerceant, ac diligenter ſingulorum ſufficientiam, & eruditionem explorent: nec ad gratiam, vel fauorem, ſed idoneos tantùm, ac dignos admittant: in quo eorũ conſcientias grauiter oneramus.

Parochis etiam, & Magiſtris, ac quibuſcumque qui fidem de qualitatibus in ordinandis requiſitis facturi ſunt, in mentem reducimus, quam fideliter, & ſincerè,

non ad complacentiam, ſed pro ſola veritate ſuam teſtificationem debeant exhibere.

CAP. XXIV.
De Matrimonij Sacramento.

ANtequam per verba de præſenti matrimonium contrahatur, tres denunciationes iuxta præſcriptum Sacri Tridentini Concilij præmittantur, nec niſi de noſtra expreſſa licentia omitti, vel earum aliqua, poterunt.

In ſingulis dicatur, ſi ſit prima, vel ſecunda, vel tertia, & poſt tertiam vnius ſaltem diei ſpatium ad contrahendum interponatur, niſi prima dies ſequens ſit prima Aduentus, vel Quadrageſimæ in qua benedictio dari non poſſet.

Si contrahentes ſint è diſtinctis Parochijs, in vtraque denunciationes fiant, nec Parochus eas faciendas acceptet, niſi ex proprio Sponſi, & Sponſæ, vel eorum Patris, aut Matris, aut alterius eorum curam gerentis ore excipiat, qualiter contrahere cupiunt, & denunciationes fieri depoſcant.

Vagi, & exteri, alienæq. Diœceſis homines, nonniſi de noſtra expreſſa licentia, & examinatis prius teſtibus de eorum libero ſtatu, iuxta formam litterarum Sacræ Romanæ Inquiſitionis omnibus Ordinarijs directarum, ad matrimonium contrahendum admittátur, etiamſi vnus ſolus eorum extraneus ſit, & alter incola, aut natiuus.

Nec

Nec qui antea coniugatus fuerat, nouo matrimonio coniungatur, niſi conſtet alterum coniugem in eodem loco obijſſe, vel per idoneas ſcripturas, & teſtes alibi obijſſe probetur, & tunc de noſtra ſcientia, & conceſſione.

Procuret Parochus, vt matrimonium contracturi, cognoſcant huius ſacramenti ſanctitatem, & vim, vtque ad illud abſque mortali labe accedant, ideoq. congruum erit, ſi antea ſacramentali confeſſione expiati fuerint, & ſacra communione refecti.

In matrimonio contrahendo aſſiſtat Parochus ſuperpelliceo, & ſtola indutus. Curabit, teſtes adhiberi ſibi notos, quorum nomina, & cognomina ſimul cum coniugibus diligẽter in matrimoniorum libro notabit.

Poſt matrimonium contractum, Parochus ipſe, vel alius Sacerdos de eius mandato, benedictionem coniugibus ſolito Eccleſiaſtico ritu impertiet; temporibus tamen per Eccleſiam non prohibitis; iuſtumque erit, vt quoad commodè fieri poterit, ante matrimonij conſummationem coniuges hac ſacerdotali benedictione ſe muniant.

Nec nuptiarum benedictio, vt & matrimonij celebratio, fiat in Eccleſia Monialium, niſi ea Parochialis ſit, & tunc vel ad altare, in quod non pateat proſpectus Monialibus, ſi adſit, vel ſi non adſit cratibus chori, & omnibus alijs ita occluſis, vt illæ proſpicere nequeant.

Caueant Sponſi, ne ante matrimonij celebrationem per verba de præſenti inter ſe copulam habeant, ſub excommunicationis pœna, de quo & Parochi frequenter

populum admonebunt. Similiter qui matrimonio bona fide coniuncti, impedimentum dirimens postea, fortè detegant, ſtatim debeant thoro ſeiungi.

Caueant etiam, qui matrimonium contrahere cupiunt, ne fraude, & dolo, ſub alio prætextu vocato Parocho, ſiue aliàs coram illo inſcio, & inuito, adhibitis ſimul, ſiue inſcijs, ſiue conſcijs teſtibus, verba mutui conſenſus coniugalis proferant, & ita matrimonialem contractum perficiant. Qui ſecus fecerint, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrant; & præterea pœnam quingentorum ſcutorum, ſi ſint diuites pijs vſibus applicandorum, vel exilij, ſi ſint pauperes à tota Diœceſi per decennium.

Eamdemq. excommunicationis pœnã ipſo facto incurrant teſtes, ſi ſcienter adſint, & quicũque alij ad id conſenſum præſtiterint, vel conſilium, aut auxilium, vel fauorem.

Quicumque doloſè, vel temerè contra matrimonij libertatem directè, vel indirectè fecerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat.

Quicumque quouis prætextu, vel quæſito colore, cauſas matrimoniales apud noſtram Archiepiſcopalem Curiam impedire præſumpſerit, ſimiliter excommunicationis pœna ipſo facto innodatus exiſtat.

Aduertat etiam oculatè Parochus, ne qui, præſertim aduenæ, & peregrini, ſub ſpecie matrimonij in concubinatu ſordeſcant, de qua re, quando rationabilis ſuſpicio appareat, nobis indicia deferat, vt diligentiori examine veritas inclareſcat.

Poſtremò, quia Genuenſes Ciues præter domicilia, in quibus intra frequentiorem Ciuitatis partem reſident, alia domicilia, æſtiuo præſertim tempore in villis, aut ſuburbijs, aut etiam intra Vrbis mœnia incolere ſolent: idcirco ad tollendas dubietates in conſcientia, & lites in foro, declaramus, ac decernimus pro dictis functionibus Parochialibus ad matrimonium contrahendum obeundis, tempore ſcilicet ruſticationis, proprium, ac legitimum Parochum eſſe vtrumque, in cuius Parochia vnum, vel alterum domicilium extat; quod tamen non intelligitur de ijs, qui breui tranſitu negotij, aut cõualeſcentiæ, vel animi gratia ad alienam Parochiam diuertunt.

CAP. XXV.
De Vita, & honeſtate Clericorum.

NVlla res eſt, quæ magis clericalem habitum deturpet, quàm praui eorum mores, qui in ſortem Domini electi, propriæ ſunt dignitatis immemores. Et nihil eſt, quod magis noceat fideli populo, quam quorum deberet eſſe innocens vita, & omnibus cumulata virtutibus, eadem vel minima labe infecta præbeat proximo occaſionem peccandi. Multa quæ à Clericis euitari, & obſeruari debent, copiosè in Synodo Prouinciali tradita fuere; idcircò eandem prouincialem Synodũ recipientes, mandamus omnibus, & ſingulis, quatenus decreta in ea contenta obſeruent, ſub pœnis eiſdem adiectis, & alijs arbitrio noſtro infligendis.

Quia ab indignis habitum, & tonſuram vſurpari non decet, nullus in poſterum habitu clericali indui poſſit ſine noſtra, vel Vicarij noſtri in ſcriptis obtenta licentia.

Clerici omnes in habitu, & tonſura continuò incedant; ita tamen, vt exteriores eorum veſtes ſint nigri coloris, & vſque ad talos porrectæ, iuxta decretum aliàs à nobis emanatum. Nec vtantur veſtibus alterius coloris, niſi ij, qui in dignitate ſunt conſtituti, & ſaluo iure illorum, qui priuilegium habent vtendi veſtibus etiam violaceis.

Nemo audeat ſine clericali veſte ſacrum celebrare, qui ſecus fecerit, ſit à diuinis ſuſpenſus; & quia Sacri Canones prohibent Clericos comam nutrire, non permittantur, accedere ad altare, qui comam ita ſouent, vt populo ſcandalo ſint.

In publicis functionibus, quæ diuinum cultum cõcernunt, ſemper vtentur ſuperpelliceis nitidis, & mundis in ſignum puritatis, qua clericum oportet eſſe conſpicuum. Rochetti verò vſum Parochis omnibus, etiamſi ſint Prothonotarij, in functionibus parochialibus omninò prohibemus.

In quacũque proceſſione facienda nullus indui poſſit alio habitu, quam ſuo ordini conuenienti, qui ſecus fecerit, plectetur.

Meminerint, coram iudicibus ſæcularibus non ſe ſiſtere, neuè coram eiſdem comparere, nec ſe examini ſubijcere, vel pro aliquo patrocinari, nec iniuriam ſuam, vel ſuorum proſequi, nec accuſare, vel querelam porrigere, ſine facultate à nobis, vel Vicario noſtro in ſcrip-

tis

tis obtenta; ſaluis tamen illis caſibus, qui de iure.

Clerici minoribus ordinibus inſigniti, ſæpè confiteantur peccata ſua, & ſacra ſynaxi reficiantur, in maioribus ordinibus frequentiùs eadem peragere curent; alioquin ad altiores ordines, & vlteriores non permittemus promoueri, & niſi habita fide cum iuraměto à Parocho de prædictorum omnium obſeruantia. Sacerdotes qui quotidie celebrare non tenentur, ſciant rationabile eſſe, vt quolibet ſaltem die feſto celebrent ad percipiendum fructum ex tanto ſacrificio, & ad viuos, & defunctos iuuandum.

Admonemus præterea omnes in minoribus ordinibus conſtitutos, vt quam primùm ſtudeant aſcendere ad maiores, diſponentes ſe ad tantam dignitatem vitæ innocentia, & morum probitate: ſcientes nos non benè ſenſuros, ſi non ſtuduerint, ad maiores ordines aſcendere, pro maiori populorum ædificatione, Eccleſiæq. vtilitate. Quod ſi ſecus fecerint, & in clericali ſtatu permanentes, indignè ſe geſſerint, & ſcandalo populo fuerint, opportuna remedia aduerſus eos pro noſtra auctoritate adhibere, & maiora etiam à S. Sede Apoſtolica, ſi opus fuerit impetrare curabimus: vt ita vel ad altiores gradus aſcendant, vel vitam ſtatui ſuo reſpondentem ducere compellamus.

Clerici item omnes, in ſacris conſtituti, diebus feſtis ad Parochias accedant, quibus ſunt adſcripti, pro obſequijs præſtandis Parocho, tàm in pſallendis diuinis officijs, quàm in docendis pueris Doctrinam Chriſtianã.

Nouimus ex ſacris Canonibus, ieiunia, & orationes

eſſe arma Clericorũ; Nullus igitur cuiuſcumque generis arma deferat, excepto cultello minore vnius palmi ad incidendum panem, per loca ſuſpecta, vel cum periculo iter agentes permiſſis vti poterunt.

Qui autem arma prohibita geſtabit, ſi arma fuerint piſtollæ, multetur pœna relegationis, ſiue triremium ad quinquennium, vel alia arbitrio noſtro: Si verò fuerint longiores ſclopetæ, & intra Ciuitatem, oppida murata, aut ſuburbia eas deferat, non cauſa itineris, per quinquennium relegetur: Si verò extra Ciuitatem, & oppida murata, & ſuburbia, vel ſi alia arma, tàm extra quàm intra Ciuitatem, oppida, & ſuburbia deferat, puniatur corporali, ſeu pecuniaria pœna arbitrio noſtro, habita ratione qualitatis armorum, & perſonarum, & locorum.

Et ſimiliter qui piſtollas domi tenuerit pœna relegationis ad quinquennium, vel alia arbitrio noſtro multabitur.

Nimia Clerici laicorum familiaritate ne vtantur, ſed quando cum eis verſari contingat, prudentes ſint, & modeſti; in eorum actibus, ſplendor prudentiæ, & honeſtatis refulgeat; non rixas excitent, neminem verbo, vel facto lædant; Mulieres, & præcipuè ſuſpectas euitēt, earum colloquia fugiant, & ab omnibus illicitis abhorreant.

Studeant vnuſquiſque apud ſe libros ſpirituales, & Eccleſiaſticos retinere, ad ſui ipſius, & aliorum inſtructionem, & tempus vtiliter terat ad ſuam, & proximi ſalutem.

CAP.

CAP. XXVI.

De Monialibus.

ABbatiſſæ, vel quouis nomine nuncupentur, ſuperiores Monaſteriorum Monialium curæ noſtræ Paſtorali creditarum, officium vltrà biennium non progredi, decernimus, & præcipimus.

Vt actus Capitulares, pro quibus perficiendis ſuffragia danda in vrnâ erunt, ſecretò fiant, omnibus, & ſingulis Monaſteriorum Monialibus iuriſdictioni noſtræ ſubiectis, in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus, vt in actibus prædictis libito ſuo ſuffragium ferant, proprijſq. manibus in vrnam ponant, nec altera alterius votum accipere, & in vrnam ponere, vel proprium votum alijs oſtendere poſſit, ægrotantium quoque vota ſecretè ab ipſiſmet ægrotantibus dari, & in vrnam ad eas delatam poni iubemus.

Decernimus vlteriùs, vt poſthac omnes, & quæcumque habitum ſuſcepturæ in quouis Monaſterio noſtræ iuriſdictioni ſubiecto, votum in Capitulo non habeant, niſi expleto quinto poſt profeſſionem anno, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & conſuetudinibus eorumdem Monaſteriorum in contrarium facientibus.

Licèt tranſacto Nouitiatus anno, Nouitiæ ad profeſſionem admitti debeant iuxta S. Concilij Tridentini Decretum; Nihilominus, vt magis in diſciplina regulari inſtruantur, eas quamuis profeſſas impoſterum ſub

regi-

regimine, & cura Monialis Præfectæ nouitiatus, vel alterius à Superiore ipſa Monaſterij deputandæ, per aliud biennium remanere decernimus.

CAP. XXVII.
De bonis Eccleſiæ non alienandis.

QVanto ſtudio, Eccleſiarum, & piorum locorum bona conſeruari debeant, inde patet, quod patrimonium Chriſti appellantur, licet enim Domini ſit orbis terræ, & plenitudo eius, ea tamen tanquã ſua propria eſſe voluit, ac reſeruauit; Quamobrem vt indemnitati iurium, & bonorum Eccleſiaſticorum prouideamus prædictorum bonorum alienationes, conceſſiones, etiam in emphyteuſim, ſiue quouis prætextu, & titulo nuncupentur, & locationes vltra triennium, niſi cum facultate, & diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, aut noſtra (in quantum nobis conceditur,) & ſeruatis ſeruãdis, in huiuſmodi alienationibus iuxta conſtitutiones, & ordinationes Summorum Pontificum fieri prohibemus, & qui contra fecerint, tam pœnis in ſacris Canonibus conſtitutis punientur, quàm alijs arbitratu noſtro infligendis.

Admonemus nihilominus omnes, vt qui Eccleſiaſtica bona malè alienata poſſident, nec diſpenſationem à Sede Apoſtolica adhuc obtinuerint, quam primùm dẽt operam, vt illam conſequantur, & obtineant, & alia omnia faciant, quæ ad huiuſmodi rei expeditionem requiruntur.

Quod

Quod vt faciliùs obſeruetur, Conſtitutionem Pauli Secundi fel. recordat. quæ incipit: Ambitiosè, in ſingulis Parochialibus Eccleſijs, ſemel ſaltem in anno, patria voce legi, aut recitari mandamus, vt omnes, quid vetitum illis ſit, & quas pœnas incurrant, faciliùs ſcire, & intelligere poſſint, ſi ita Parochis videbitur.

Bona cuiuſuis hominis per vim, aut fraudem detinere, peccatum graue eſt; Bona verò, fructus, & prouentus quoſcumque aliaq. id genus, quæ vel Eccleſiæ, vel pijs locis quacumque ratione debentur, illis itidem modis occupare; ſcelus grauiſſimum eſt; quo igitur vehementiùs à tanto crimine homines grauitate pœnæ terreantur, eoq. maiori cura, ac ſollicitudine ſalutaris pœnitentię remedia quærant, quo illius peccati conſcij, ſe arctioribus pœnæ vinculis, vident aſtrictos; Mandamus omnibus, & ſingulis Ciuitatis, & Diœceſis Parochis, vt ſanctiſſima illa Concilij Tridentini conſtitutio, quæ contra bona Eccleſiaſtica occupantes lata eſt, ſingulis annis primo Aduentus die Dominico, quando frequentia populi erit maior, in miſſa ab ipſis publicetur, & promulgetur vulgari idiomate.

Et quoniam bonorũ Eccleſiarum vſurpationes plerumq. accidere ſolent propter tacitam permiſſionem, vel propter negligentiam eorum, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent; Etenim dum ea, vel affinibus, & conſanguineis ſuis, vel ijs, qui alia bona confinia poſſident, locant, aut ideo tacent, vt illis morem gerant, aut fines bonorum Eccleſiæ ſcire negligunt, ac propterea locatores, fines ſuos ampliando, partem eorum, quæ ad Ec-

cleſiam pertinent, ſibi vſurpant, ne in noſtra Diœceſi hoc vlteriùs euenire contingat, omnibus Eccleſiaſtica bona obtinentibus, expreſsè iubemus, ne illa, aut partem illorum affinibus, vel conſanguineis ſuis locare præſumant, ſine noſtra ſpeciali licentia, ſub pœna librarum centum, in beneficium eiuſdem Eccleſiæ arbitrio noſtro applicandarum.

Ijs verò, qui confinia bona poſſident, non aliter bona Eccleſiaſtica, ſeu piorum locorum locari præcipimus, quàm expreſsè nominatis in inſtrumento locationis finibus, menſurata terra, & appoſito aliquo permanenti ſigno in ijs, antequam locatores vtilem conductionis poſſeſſionem accipiant.

Præterea quia comperimus, multos ex beneficiatis, & bona Eccleſiarum poſſidentibus, & ex collectoribus bonorum menſæ noſtræ, & Capituli noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ, antiquiſſimos Canones, ſeu, vt dicunt, terratica, cenſus, & penſiones, minus iuſto, nec ſecundum diſpoſitionem ſacrorum Canonum, ſed pro libito in magnum detrimentum bonorum Eccleſiaſticorum; & non rarò etiam in præiudicium ſoluere debentium exigere, & volentes hunc abuſum tollere, & omni meliori via, & modo, quo fieri poteſt, ſolutiones prædictas ad veram normam, & ſecundum iuſtitiam redigere: Mandamus in prædictis, & circa prædicta obſeruari diſpoſitionem Capituli, olim, de cenſibus, ita vt nihil minus exigi poſſit, in valutatione facienda, occaſione ſolutionum prædictarum monetarum, quàm id totum, quod deciſum eſt, & prouenit ex diſpoſitione Capituli

præ-

prædicti, prout etiam obſeruari mandamus diſpoſitionem Capituli: cum Canonicis eod. tit. ita vt nihil amplius exigi poſſit, quàm id, & totum, quod ex diſpoſitione eiuſdem deciſum eſt; Et quoniam monetarum valor pro temporum varietate immutatus pariter eſt in tota Diœceſi, propterea ad tollendas omnes difficultates, quæ oriri poſſent circa interpretationem verborum loquentium in ſpecie de libris, ſolidis, & denarijs monetæ Genuæ, declaramus, & decernimus vbicumque de libris, ſolidis, & denarijs Genuenſibus legitur, vel quouis modo apparebit, de eis facta mentio, ante annum 1605. dictas libras, ſolidos, & denarios intelligi debere de libris, ſolidis, & denarijs monetæ cartulariorum Sancti Georgij, & ſecundum talem æſtimationem fieri ſolutiones, ab anno verò 1605. citrà, fiant ſolutiones ſecundum æſtimationem monetarum, quæ currebant tempore contractus, regulandæ iuxta valorem ſcuti argentei, ſtampæ, & impreſſionis Coronæ Genuæ, qui tunc temporis expendebatur; Quod tamen intelligatur de nouis inueſtituris tantùm à dicto tempore citrà, non verò de antiquioribus, renouatis.

Licèt, vbi primum quæcumque Parochialis Eccleſia vacauerit, ſtatim in ea Vicarium cōſtitui cupiamus iuxta S. Concilij Tridentini præſcriptum, attamen, vt prouideatur, ne bona præſertim mobilia Eccleſiarum huiuſmodi vacantium diſtrahantur, hoc decreto ſtatuimus, vt quandocumque Parochialis cuiuſuis Eccleſiæ vacatio contigerit, illicò Vicarius foraneus, vel eo impedito Parochus, qui dictæ Eccleſiæ erit propinquior,

 cum

cum primùm dictæ vacationis notitiam habuerit, ad eam ſe conferre teneatur, ibique adhibitis maſſarijs, alijſq dictæ Parochiæ pijs viris, prout ſibi magis viſum fuerit expedire, inuentarium omnium bonorum mobilium, & ſcripturarum, ad dictam Eccleſiam pertinentium, conficere, eaq. omnia penès Vicarium à nobis inſtitutum, vel aliquem alium eiuſdem Parochiæ, fide, ac opibus idoneum deponere, ea conditione, vt nemini ea ſine noſtra ſpeciali licentia in ſcriptis impetrata tradat.

Interim verò ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, à qua abſolui nemo poſſit, niſi facta prius integra reſtitutione, prohibemus, ne Eccleſiæ ſuppellectilia, ſcripturas, aliamuè rem vllam ad Eccleſiam pertinentem, quiſquam aſportet, aut priùs aſportatam retineat; ſed omnia ſucceſſori maneant reſeruata.

Quamobrem defunctorum Parochorum hæredes aliquid hæreditatis aliò aſportare non audeant, niſi habita priùs licentia in ſcriptis à nobis ſub pœna aureorum quinquaginta, & in iuris ſubſidium, excommunicationis; & ne hæredes ignorantiam huius Decreti prętendere poſſint, præcipimus Vicario foraneo, vel eo impedito Parocho proximiori, vt inſtante rectoris morte, hæredes, & domeſticos eius de hac re diligenter moneant, ſedulòq. curent, ne aliquid amoueant, ſub pœna, quod ſi quid ab ipſis hæredibus, vel alijs auferatur, deperdaturuè ob negligentiam, & culpam prædictorum, de ſuis ipſiſmet bonis compenſent.

Bonorum Eccleſiarum, locationes, anticipatis ſolutionibus, iuxta Decretum S. Concilii Tridentini nequa-

quaquam fiant, & quæ locandæ erunt, edictis publicis affixis, & bannimentis proponantur, dataq. omnibus offerendi, & conducendi facultate, plus offerenti concedantur, & in omni locationis inſtrumento expreſsè inſeratur, anticipatas ſolutiones in præiudicium ſucceſſorum validas non intelligi, nec contractum locationis, quoad hoc ſucceſſores obligare.

Nemo vineas, aut arbores frugiferas, aut virides quaſcumque, præterquam ſyluæ cæduæ, idq. non ante opportuna tempora, quibus cædi ſolent, incidere audeat, abſque vrgenti neceſſitate, aut euidenti Eccleſiarum, aut piorum locorum vtilitate, de qua à nobis, vel Vicario noſtro, iudicabitur, præterquam ob quotidianum neceſſarium, & moderatum miniſtrorum vſum; contrafacientes in duplum æſtimationis arborum inciſarum multabuntur, & totidem inſuper arbores, loco inciſarum inſerere cogentur.

Cum aliàs pro bonis, & iuribus Eccleſiarum conſeruandis, quæ ſæpè numero ſegnitiâ, & incuria titulatorũ, necnon crebrâ illorum mutatione, malè vſurpantur, & deperduntur, à prædeceſſoribus noſtris, ſtatutum fuerit, vt omnes Eccleſiaſtica bona obtinentes, bonorum omnium, tàm mobilium, quàm immobilium inuentarium facere, factumque vni ex Cancellarijs Curiæ Archiepiſcopalis exhibere tenerentur, in Archiepiſcopali Archiuio conſeruandum, quia tamen nonnulli adhuc extant, qui ſua negligentia, ſeu alio quouis impedimento, huiuſmodi inuentarium minimè confecerunt, aut certè nullum ad Curiam noſtram attulerunt, cupientes

pro-

propterea nos, vt prædeceſſorum noſtrorum ordinationes diligentiſſimè obſeruentur, ne quid vnquam detrimenti Eccleſiæ recipiant, mandamus omnibus, & ſingulis iuriſdictioni noſtræ ſubiectis, cuiuſuis ordinis, ſtatus, & dignitatis exiſtant, titulos beneficiorum Eccleſiaſticorum obtinentibus in hac Ciuitate, & Diœceſi noſtra, cuiuſcumque generis illa ſint, quorum adhuc legitimum inuentarium non confecerunt, vel nõ exhibuerunt in Curia noſtra Archiepiſcopali, vt intra tres menſes proximè futuros inuentarium bonorum omniũ mobilium & ſtabilium; in quo fundos, agros, domus, cenſus, redditus, iura, actiones, ac cætera omnia, ad Eccleſias, & præfata beneficia ſpectantia deſcribãtur, cum annotatione qualitatum, quantitatum, confinium, ſituationum, reſponſionum, nominumq. pariter dicta bona detinentium, & poſſidentium conficere debeant; Cuius inuentarij originale apud ſe retineant inter ſcripturas Eccleſiæ conſeruandum, exemplar verò ad nos tranſmittant in Archiuio Curiæ Archiepiſcopalis perpetuo aſſeruandum, & qui non paruerint, eo ipſo pœnam incurrãt amiſſionis medietatis omnium fructuum præſentis anni eorum titulorum, quorum bonorum, & iurium inuentarium confectum, & præſentatum per eos non fuerit; & ſi qui fuerint, quibus ob controuerſias, ac lites, adhuc vertentes, vel ob alias cauſas, ſtatuere certos fines, & limites bonis ſuæ Eccleſiæ permiſſum non fuerit, nobis ſignificent, vt quoad fuerit expediens, atque opportunum, decernere valeamus.

CAP. XXVIII.

De Eccleſiarum, Oratoriorum, aliorumq. locorum piorum Adminiſtratoribus.

CVratores, ſeu Maſſarij, & quocumque alio nomine appellentur, Adminiſtratores Eccleſiarum, Oratoriorum, aliorumq. piorum locorum, quotannis eligantur, & non alibi, quàm in Eccleſijs, ac Oratorijs ipſis, præſente Parocho qui ſedulò curet, vt electio ipſa canonicè fiat, nec eligantur qui præteritæ adminiſtrationis rationem non reddiderint, vel debitores extiterint, & integrè non ſatisfecerint, vel fraudem in officio commiſerint.

Adminiſtratores electi, antequam adminiſtrationem ſuſcipiant, iuſiurandum præſtent in manibus Vicarij foranei, ſi adſit; ſin minus, Parochi, ſe fideliter, & accuratè munus ſuum exequuturos, fructuſque & redditus omnes Eccleſiæ, ſiue Oratorij, aut loci pij, fideliter adminiſtraturos, & iuxta eorumdem locorum inſtitutum conſumpturos, ac diſtributuros, alioquin electio ipſa irritabitur.

Caueant ipſi adminiſtratores, ne quidquam de redditibus, aut eleemoſynis Eccleſiarum, aliorumq: piorũ locorum, inconſulto Parocho, expendant, aut quidquã exequantur, quod etiam ad Eccleſiæ reparationem, cultum, & ornatum pertineat, & quæcumque pecuniæ ad manus ipſorum peruenerint, in capſula reponantur, duabus munita clauibus, quarum vna apud operarios;

al-

altera verò apud Parochum ſeruetur, nec vnquam ipſo Parocho inuito, aut contradicente aperiatur, nec à Parocho, abſque interuentu, ad quos ſpectabit.

In ſine officij rationem reddant totius adminiſtrationis coram Parocho, & qui ex reddita ratione debitores remanſerint, infra menſem à die calculi, omninò ſatisfacere debeant; & ſi negligentes fuerint, Parochus nos certiores reddat, vt eos debitis pœnis ad ſatisfaciendum compellamus.

In Oratorijs ſocietatum, veſperæ, aut alia diuina officia eo tempore, quo in Eccleſijs Parochialibus celebrantur, nullo pacto recitentur, neque etiam Miſſæ ſacrificium in ijs fieri permittatur, antequam in Parochiali Eccleſia fuerit celebratum, niſi populi commodum aliter poſtulauerit, & Parochi ad id conſenſus acceſſerit.

Nulli vnquam ſodalitati eleemoſynas publicè quęrere liceat, niſi facultate à nobis, aut à Vicario noſtro in ſcriptis impetrata, ſingulis annis renouanda, ſub pœna quinque aureorum, toties, quoties à quoquam ſecus factum fuerit, perſoluenda; Quæ verò eleemoſynæ recollectæ fuerint, curet Parochus, vt in beneficium Oratorij, & ſodalitatis conuertantur, vel inter egenos, & miſerabiles diſtribuantur, etſi aliquam fraudem cognouerit, nobis ſignificet, vt de opportunis remedijs prouidere valeamus.

Pro feſtiuitate Societatis, vel quacumque alia de cauſa, in Eccleſijs, ſeu Oratorijs, eorumq. foribus, & cæmeterijs comeſſationes, edulia, ientacula à Confratribus,

bus, Sacerdotibus, ac alijs religioſis fieri ſub pœna interdicti Eccleſiæ, vel Oratorij omninò prohibemus.

Curent omnes Parochi, vbicumque Societates Corporis Chriſti nondum extant, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam, & ſalutem animarum, quamprimùm fieri poterit, eas inſtituere, & erigere.

Regulæ Societatum, ſi quæ deſiderantur à Parochis conficiantur pro qualitate locorum accommodatæ à deputandis à nobis recognoſcendæ, & à nobis ipſis demum approbandæ.

CAP. XXIX.

De Prædicatione Verbi Dei.

CVm enunciandi Diuini Verbi munus, ſit Apoſtolicum officium, & Reip. Chriſtianæ admodùm neceſſarium, & nemo, docente Apoſtolo, ad munus hoc prædicationis accedere debeat, niſi mittatur; Sacri Concilij Decretis inhærentes, concionatoribus omnibus, abſque noſtra approbatione, & licentia prædicandi officium expreſsè interdicimus, & prohibemus, propterea Parochi, & Vicarij foranei eos prædicationem aggredi non patiantur; niſi ſcripto priùs, ſe à nobis huius muneris obeundi facultatem habuiſſe oſtenderint; Et ſi Regulares fuerint, & in ipſiſmet ſuorũ ordinum Eccleſijs concionaturi, à nobis ex præſcripto Concilij Tridentini benedictionem ante ſuſcipiant.

Eos autem, quos ob virtutum, & doctrinæ merita ad

Apoſtolicum hoc munus exercendũ eligi à nobis contigerit, monemus in Domino, vt quod verbis annunciaturi ſunt, factis quoque comprobare conentur, ne dum eorum vita deſpicitur, ſacrum etiam Prædicationis verbum contemnatur, cum benè viuendi ratio perpetuum ſit quoddam prædicandi genus; Et quoniam à Chriſto Domino prædicandi poteſtatem acceperunt, eum imitari conentur, qui priùs cœpit facere, & poſtea docere.

Auditores non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute ſpiritus iuuare potiùs, quàm eis placere ſtudeant, Euangelium Dei, ſanamque doctrinam iuxta Apoſtoli monita ad Timotheum, & Titum ſeriò, efficaciter, & in ſimplicitate ſermonis ita enunciantes, vt qui audiunt, non laudatores, aut admiratione pleni, ſed contriſtati ad pœnitentiam, & meliores à prædicatione diſcedant.

Nec ſenſus confuſos, & diſputationes ſcholaſticas, tenebriſq. quodammodo inuolutas, in ſuggeſtu agitent, ſed quæ ad omnium ſalutem conducunt, breui faciliq. ſermone annunciantes, ſatagant humanas mentes in viam Domini dirigere, & docere populos, quæ vitia declinare, & quas virtutes ſectari oporteat, vt pęna æterna liberari, & cæleſtem gloriam conſequi valeant; ne ſi ſecus fecerint, cum alijs prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur, & ad alios conuertendos reddantur inefficaces.

Concionatores omnes in poſterum prædicationis officio fungi non audeant, niſi priùs nobis ſe ſiſtant, vt in

ipſo

ipſo prædicationis exordio ſpirituales populi neceſſitates agnoſcant, atque ita ſalutarem, & opportunam poſſint animarum vulneribus adhibere medicinam.

Nullus ex concionatoribus, etiam Regularibus, in Eccleſijs, quamuis exemptis, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licētia, Indulgentias, ſiue aliquid aliud ſimile publicare præſumat; nec alios pauperes, vel pia loca pro eleemoſynis commendare niſi quos, & quæ nos, vel Vicarius generalis in Ciuitate, vel foraneus, aut Parochus in Diœceſi illis ſignificauerint.

Conciones nocturno tempore etiam de ſalutifera morte Saluatoris Domini noſtri IESV Chriſti in Feria Quinta, vel Sexta maioris Hebdomadæ fieri prohibemus, ſub pœna interdicti Eccleſiæ incurrenda.

CAP. XXX.

De Indulgentijs.

CVm Indulgentiæ non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatisfactionem, aliaq. pietatis opera concedantur, prohibemus, ne Indulgentiarum tempore litteræ patentes, quæ conceſſas Indulgentias continent, ad capſas colligendis eleemoſynis paratas, ſed aut ad ipſius Eccleſiæ valuas, aut ad altaris latus, vel capellæ, cui eſt conceſſa Indulgentia, affigantur.

In Eccleſia, eadem Indulgentiarum occaſione, capſulæ eleemoſynarum non ſupponantur ſine noſtra ſpeciali licentia, qui in hac re, quod fuerit expediens, ſta-

tuemus, & contra ſecus facientes grauiter animaduertemus.

Nullus cuiuſuis Eccleſiæ Rector, etiam exemptæ, nulluſque Regularium, necnon Societatum laicorum ſuperior, cuiuſuis priuilegij prætextu Indulgẽtias, quouis modo eorum Eccleſijs conceſſas, etiam in ſuis Eccleſijs promulgare audeat, niſi prius illas coram nobis oſtenderit, vt nos ſeruata Concilij Tridentini forma duobus de Capitulo Cathedralis noſtræ nobiſcum adhibitis, illas recognoſcamus, & legitimas approbemus, & populo opportunè publicandas decernamus.

CAP. XXXI.

De Quæſtoribus.

CVm ſacrum Tridentinum Concilium, non ſolùm quæſtorum vſum, ſed & nomen ipſorum funditus ſuſtulerit; Ideo decernimus nemini licere in Ciuitate, & Diœceſi noſtra huiuſmodi officium exercere; Propterea Parochi omnes, cuiuſcumque generis quæſtuarios homines, à Parochiarum ſuarum limitibus expellant; Neque vt cautum eſt Concilij Tridentini decretó, vllatenùs permittant illos in ſuis Parochijs eleemoſynas quærere; Regularibus tantùm exemptis, qui ſuorum Monaſteriorum nomine, iure ſuo mendicant, & ijs etiam, qui alijs pijs locis (facultate à nobis in ſcriptis impetrata) in hoc ipſo munere inſeruiunt.

In huiuſmodi autem licentijs concedendis, hę condi-

ditiones debent obſeruari, vt à S. Congregatione Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium; Epiſcoporum, & Regularium præſcriptum eſt, videlicet, vt concedantur gratis, & in ſcriptis, & perſonæ eleemoſynis colligendis deputandæ approbentur ab Epiſcopo, quæ perſonæ non debent eleemoſynarum, propter operam, quam præſtant, eſſe participes; non ferre ſua priuilegia, nec reliquias, nec minis, aut imprecationibus inducere Chriſti fideles ad eleemoſynam erogandam; non tintinnabulũ, aliaq. ſimilia inſtrumenta, quondam quæſtorum inſignia, ad homines excitandos pulſare; nec quidquam vti debitum, aut ſolitum petere, neque vllo artificio, aut prætextu, vt S. Antonij orationis dicendæ, aut alterius Sancti, pecunias, aut alia bona extorquere, ſed ſimpliciter, piè, & modeſtè petere elemoſynam pro ſubuentione Hoſpitalium, vel ſimilium piorũ locorum, & accipere tantùm, quod ipſis vltrò offeretur. Denique ſuper eiſdem eleemoſynis nullam quouis nomine conuentionem inire debent: nec quæſtoris nomine vllo pacto nuncupari.

Et quia, nec ſine animi noſtri dolore, audiuimus, quæſtuantes eas, quæ ſibi cum conditionibus à Sacra Congregatione Epiſcoporum præſcriptis conceditur facultate abuti huiuſmodi, quaſcumque licentias quæſtuandi quibuſuis perſonis hactenus à nobis, ſeu miniſtris noſtris conceſſas, reuocamus, & pro reuocatis in poſterum haberi volumus; Et cupientes deinceps, vt quicumque quæſtuatores à nobis facultatem impetrabunt piè, & religioſè beneficio vtantur, quod eorum

neceſſitati compatientes impertimur; Parochos omnes & ſingulos admonemus, ne patiantur per Parochias ſuas quæſtuari, niſi priùs licentiam in ſcriptis à nobis, vel à Vicario noſtro generali conceſſam viderint, ac recognouerint. Quod ſi adhuc quidpiam indignum commiſerint, expelli mandamus, ſtrictèq; præcipimus, vt ipſi Parochi à ſuis Parochijs debeant illos eijcere, & litteras quoque à nobis obtentas adimere.

Nemini, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſeculari liceat ad quæſtuandum Imagines, ſiue nouas, ſiue antiquas per Ciuitatem, vel ſuburbia, ſine noſtra ſpeciali licentia deferre, aut exponere, ſub pœna cõtrafacientibus amiſſionis eleemoſynarum collectarum, & ſcutorum viginti quinque pijs vſibus applicandorum, & in iuris ſubſidium excommunicationis.

CAP. XXXII.

De Energumenis exorcizandis.

EXorciſtæ officium, rectè, ſanctè, & grauiter exercendum, nemo eſt, qui reuocet in dubium; quapropter ſi quis alicui exorciſmũ adhibere voluerit, ieiunio, & oratione ſe muniat, Saluatoris noſtri oraculi memor, quod in ieiunio, & oratione mali ſpiritus eijciuntur; neque ad munus hoc obeundum accedat, niſi conſcientiam ſuam ab omni erroris labe priùs deterſerit; & ſi Sacerdos fuerit, & commodè præſtare poſſit, miſſam celebrabit, totoq; Deum corde deprecabitur, vt ad ſui

glo-

gloriam, & Sanctæ Eccleſiæ ſuæ exaltationem, & animarum ſalutem, obſeſſo concedat liberationem.

Energumeni verò non priùs exorcizẽtur, quàm omnes anteactæ vitæ errores diligenti diſcuſſione confiteantur; eoſque ſæpiùs exorciſtæ moneant, vt aſſiduis precibus, necnon alijs pietatis operibus ſeſe muniant, Eccleſias, vbi Sanctorum reliquiæ aſſeruãtur, frequenter viſitent: ieiunia itidem, & ſexta præcipuè feria in Dominicæ Paſſionis memoriam, ex Chriſtianæ pietatis exemplo, exerceant.

Parochi neminem exorcizandi munus in ſuis Parochijs exercere ſinant, niſi in ſcriptis facultatem à nobis, ſeu Vicario noſtro, ad hoc ſibi conceſſam exhibuerit; Neque Vicarius huiuſmodi facultatem, ne Sacerdoti quidem concedat, niſi ætatẽ, ſcientiam, mores præcognouerit; nec ipſi Parochi ſine huiuſmodi licentia hoc munus exerceant.

Energumenorum vitam, mores, actioneſq. accuratè etiam explorent, videantq. (conſulto ſi opus fuerit medico) an quod ab illis agitur, id fortaſſe morbi alicuius, vel bilis atræ furore contingat, an vltrò, ac diſſimulanter, an denique dæmonis, malorumq. ſpirituum vexatione, an itidem exorcizandus excommunicationis vinculo vnquam fuerit irretitus, ritèque abſolutionem acceperit, & ſi nondum abſolutus fuerit, hoc ante omnia fieri ſedulò curabunt.

Non ante ſolis ortum, nec poſt occaſum, nec in ædibus laicalibus, locíſq. priuatis, ſine noſtra ſpeciali conceſſione, exorciſmi habeantur, ſed in Eccleſia, non co-

ram omnibus, ſed viris tantùm honeſtis, & ætate pergrauibus; ſi verò exorcizanda mulier fuerit, id facient, ſaltem duabus coram ætate, vitaq. probatis fœminis, & ſi fieri poterit, energumenæ conſanguineis, nec illius caput, humeros, faciem ac manus tangent abſque neceſſitate, & tunc maxima cum honeſtate, neque energumenum, aut energumenam ſuper altaria imponent, & quidquid deniqne offenſionis Deo eſſe poteſt, effugient.

Non alijs exorciſmis, precibus, ritibuſque quàm ab Eccleſia ſtatutis, & approbatis vtantur, & ſummoperè caueant, ne vllus vnquam in hoc munere peragendo intercedat quæſtus, neuè rebus ſuperſtitioſis, aut maleficijs vllis id faciant, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrẽda, alijſq. arbitrio noſtro imponendis.

CAP. XXXIII.

De Exequijs, & Funeribus.

SVmmam diligentiam adhibebit Parochus, vt ſacræ cæremoniæ, ac ritus, quibus ex antiqua traditione in ſepeliendis fidelium cadaueribus, & ad viuorum pietatem, & ad Defunctorum ſalutem, vti ſolet Eccleſia, ea qua par eſt religione ſeruentur, & more retineantur.

Sacerdotes itaque omnes, & Clerici, qui funus proſequi debebunt, ſuperpelliceis ſint induti, caputq. bireto quadrato tecti, nec pallio, aut pileo vtantur, niſi

tem-

tempore pluuiæ funus ſit deducendum, procedantque ordinatim Pſalmos decantantes.

In funere deducendo, defuncti Parochus, vnà cum ſuo Clero, cæteris omnibus (ſolo Cathedralis noſtræ Capitulo excepto, & ſi qui alij de iure, vel conſuetudine præcedere debeāt) præferatur, & antiphonam; Exultabunt Domino, primus inchoabit. Quòd ſi contingat mortuum ſepeliri in Parochiali alterius Parochi, is ſtola, & ſuperpelliceo pariter indutus, ad ſiniſtram primi Parochi procedet vſq; ad ingreſsū ſuę Eccleſiæ; tunc dexteram tenens, præcedentiam habebit, & exequiarum officium abſoluet. Rectores verò aliarum Eccleſiarum, qui Sacerdotum nomine ad funus erunt conuocati, ante Clerum parochialis; & ſi defunctus in altera Parochiali ſit ſepeliendus, etiam ante iſtius Clerum incedant; ſi ſimul ſub eadem cruce, & eiuſdem Eccleſiæ parochialis Capellanorum nomine conueniant; & clerici ſęculares etiam eleemoſyna conducti, & regulares; Clerici ſęculares à Regularibus præcedentiam habeant, præterquam à proprio defuncti Parocho, etiamſi regularis fuerit.

Quotieſcumque plures ex clericis ſęcularibus eſſent ad funera inuitandi, vocetur prius Sacerdos ille, quem Parochus in animarum cura habet adiutorem, tum cæteri, qui in Parochiali diuina officia pſallere conſueuerunt, deinde Rectores illius Plebis, demum alij, quos is, cuius intereſt, accerſiri voluerit; nullum tamen per hoc ſit illatum præiudicium Archipresbyteris, vbi erūt vocandi, ſed vnicuique illorum ſuum ius, iuxta adeo

obſeruata integrum reſeruamus.

Si vnà cum Clero ſæculari vocentur Regulares, numerus Clericorum ſęcularium minor non ſit, quàm vniuſcuiuſque Conuentus Regularium, Parochus tamen ſemper erit ſupernumerarius. Quòd ſi defuncti hæres, aut is, qui funus curat, plures clericos ſęculares accerſire voluerit, eius voluntas omninò ſeruetur.

Et cum hoc opus totum pietatis ſit, in eo non ſolùm ab auaritia, ſed ab omni etiam auaritiæ ſpecie Parochi, cæteriq. clerici abſtineant.

Verum, ne Parochiales Eccleſiæ, & ipſarum Curati, ſiue Rectores, qui miniſtrare habent Eccleſiaſtica Sacramenta debitis, & neceſſarijs emolumentis defraudentur, cùm mercenarijs mercedis exhibitio debeatur, eleemoſynam illam, quæ iuxta vniuſcuiuſque loci conſuetudinem pro funeris munere, iam aliàs à prædeceſſoribus noſtris taxata eſt, exigi interim non prohibemus, donec alia taxa pro vnaquaque Eccleſia in tabella deſcribenda, & in qualibet Sacriſtia affigenda à nobis ſtatuatur.

Si quem Ciuium Genuenſium, dum æſtiuo tempore ruſticatur, ruri mori contigerit, Parochus ruralis, in cuius Parochia ille deceſſerit, ſiuè extrà, ſiue intrà Vrbem ſepeliatur, emolumentorum funeris tertiam partem habebit, reliquæ verò duæ tertiæ partes Parocho vrbano erunt reſeruatæ.

Diſſidiorum vepres, quæ aliquando occaſione panni, qui ſuper feretro ponitur, exoriri accepimus, radicitùs præcidere volentes cum paræcialibus Sacerdoti-

bus,

bus, & Eccleſiarum Paſtoribus, ſiue Curatis canonica portio de iure debeatur de omnibus ratione funeris, quomodocumque datis, declaramus, ſtatuimus, & mandamus, vt pannus, qui aliquando feretro apponitur, æqualiter diuidatur inter Rectorem parochialis, & illum; ſeu inter regulares ad cuius, vel quorum Eccleſiam defunctus ſepeliendus effertur.

Et quoniam non ſine temerario auſu Confratres quandoq præſumunt auferre funale, quod feretro ſuperimponitur, candelas item, quæ aut circa cadauer, aut in altaribus accenduntur, quod & in Concilio Prouinciali, & in anteactis Diœceſanis Synodis illis prohibitum fuit, eorum pertinaciæ reſiſtere volentes, ſub pœna interdicti ipſo iure, & abſque alia declaratione incurrendi, illis interdicimus, ne poſthac funale, & candelas huiuſmodi auferant, ſed Eccleſiæ Rectori relinquant.

Pauperes, quibus nihil, aut non ſatis ſupereſt, vt proprijs expenſis ſepeliri poſſint, gratuitò omninò cum debitis luminibus à Parochis ſepeliantur.

Nullius cadauer ſepulturæ mandetur ante ortum ſolis, nec poſt eius occaſum, & nonniſi poſt vigeſimam quartam ab obitu horam.

Si quis Regularis cuiuſcumque ordinis, & congregationis, etiam Mendicantium, teſtetur defunctum, dum viueret in Eccleſia ſui ordinis ſepulturam ſibi elegiſſe, niſi teſtibus huiuſmodi dictum probetur, nulla fides ei adhibeatur, ex decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & licet regulares poſſint ad ſepulturam recipe-

re illorum corpora, qui dum viuerent in ipſorum Eccleſijs declarauerunt, ſe velle ſepeliri, non audeant tamen leuare ea, niſi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, qui corpus ad Regularem Eccleſiam efferendum eleuet.

Pro paruulis baptizatis, qui ante vſum rationis obierunt, iuxta vetuſtam, & laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ, ſepultura ab alijs ſeparata habeatur, in iſtorum funere non luctus, ſed lætitiæ ſigna dentur cum campanis, & crux ſine haſta deferatur.

Et cum extra Eccleſiam, aut cæmiterium ritè benedictum, nullus Chriſtianorum, qui in communione fidelium ex hac vita diſceſſerit, ſit ſepeliendus, omninò prohibemus ſub pœna interdicti ipſo facto incurrenda, quemquam ſepeliri in Confratrum Oratorijs, etiāſi defunctus ex Confratribus fuerit; imò & ſepulturas, ſi quæ in eiſdem Oratorijs adhuc ſunt, amoueri omninò, ſiue obturari mandamus.

Confraternitates Laicorum in Eccleſijs peracto ſepulturæ officio preces præſertim ſermone vernaculo non recitent, aut decantent.

CAP. XXXIV.

De Proceſſionibus.

CVm aliqua fuerit proceſſio peragenda, Parochi omnes, tàm Ciuitatis, quàm Diœceſis, populum ante commoneant, vt vnuſquiſque, & pro inſtantibus

tibus neceſſitatibus Deum precaturus, & de acceptis beneficijs gratias acturus, eidem poſſit intereſſe.

Vt autem in proceſſionibus omnia ad Dei laudem, & animarum ſalutem dirigantur, Clerus tàm Sęcularis, quàm Regularis, vocatus in Eccleſia noſtra Metropolitana in Ciuitate, vel Parochiali per Diœceſim, ſiue alia Eccleſia, vbi proceſſio inchoanda erit, ſtatuto tempore conueniat, & qui venire abnuerint, auctoritate Sacri Concilij Tridentini compellantur; Pro abſentibus verò, & negligentibus hăbeantur, qui antequam ab Eccleſia Clerus egrediatur, non adfuerint.

Vbi verò in Eccleſiam conuenerint, per eam non vagentur, ſed dum proceſſionis ordo componitur, orationibus incumbant.

Poſtea bini crucem ſubſequentes, deuoto, ordinatoque greſſu, & maiori, quâ fieri poterit grauitate, ſilentio, deuotione incedant, qua decet Dei miniſtros reuerentia, compoſitione, pietate, Pſalmos, & Hymnos alternatim canentes, vt reliquum ſuo exemplo populum ad deuotionem magis incendant.

Procedant autem hoc ordine. Clerici minorum ordinum antecedant, ſubſequantur Subdiaconi, Diaconi, & vltimò Sacerdotes.

Nulli proceſſionem, donec finis imponatur, deſerāt; ſed omnes ſimul ad Eccleſiam, in qua proceſſio terminăda, eodem, quo proceſſerunt ordine, reuertantur, nec priùs ab ea quiſquam de Clero ſæculari diſcedat, quàm precibus, & orationibus omnibus abſolutis, & à nobis,

ſi præſentes erimus, benedictione accepta, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri licentia.

In ſupplicationibus, & proceſſionibus obeundis, Parochi omnes foranei dent operam, ne vnquam poſt ſolis occaſum, niſi de noſtra ſpeciali licentia fiant. Studebunt etiam, vt eo tempore viri, mulieresq. ab inuicem ſegregentur, & vt ſublatis etiam colloquijs quibuſcumque, piè tantùm orantes, ordinatè procedant.

Curent, vt Clerici quicumque, qui eis interfuerint talaribus veſtibus, & ſuperpelliceis induti crucem ab eorum aliquo prælatam inſequentes, Litanias, Pſalmos, aliaſq. preces, & ſupplicationes, prout temporis ratio poſtulauerit, pia ac religioſa voce decantent.

Ne longioris itineris cauſa comeſſationes, compotationeſq. fiant, vanæq. euagationes, & confabulationes, vt hactenus ex deprauato more alicubi factũ audiuimus, in Litanijs præſertim maioribus, & minoribus, illas eo vſque Parochi deducent, vnde ad Eccleſiam ante congruam prandij horam omnes reuerti poſſint; Parochię autem fines nullatenus vnquam excedant; quo faciliùs Parochi ab huiuſmodi corrupto more populum reuocent, ipſum de hac pia, ac religioſa proceſſionum inſtitutione ſedulò admonentes.

Clerici omnes ſæculares, & quorumcumq; ordinum Regulares, qui exemptionis priuilegio non ſint fulciti, ad proceſſiones generales accedere teneantur, etiam non vocati, hora per nos, vel de mandato noſtro promulgata, ſint autem proceſſiones generales ex præſcri-

pto

pro Concilij Prouincialis, quod innouamus, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Translationis Cinerum, S. Ioannis Baptiſtæ, Conceptionis B. MARIAE Virginis, S. Antonij, S. Sebaſtiani, S. Bernardi, maiorum, minorumq. Litaniarũ iuxta Pontificij ceremonialis noui præceptũ.

CAP. XXXV.
De iudiciali foro Archiepiſcopali.

QVamuis Cancellariorum, & Notariorum Curiæ noſtræ integritati plurimum confidamus, ne tamen mali dæmonis inſtinctu auaritię ſordibus, aliquando eos commaculari, & Collitigantes grauioribus, quàm par eſt exactionibus opprimi, contingat, præcipimus, vt Cancellarij, Notarij, Scribani, & alij Curiæ noſtræ miniſtri, taxam, in qua diſtinctè quid, quibus cauſis, & pro ſingulis prouiſionibus, mercedis nomine, accipiendum ſit, adnotatur, quam confici curauimus omnino, & inuiolabiliter obſeruare teneantur, eandemq. in aliqua tabella ante Cancellariæ fores perpetuo fixam tenere, vt omnes quid ſua interſit, facilè inſpicere poſſint; Quicumque vero noſtræ Curiæ miniſtri eius fines in accipienda mercede exceſſerint, reſtituere duplum compellantur, & officij priuatione puniantur.

Cauſarum criminalium acta, & proceſſus poſt hac in libris tantùm benè compaginatis, non verò in ſeiunctis ſolijs, vt hactenus factum fuit, conſcribi volumus, & mandamus.

Cum

Cum experientia doceat, ex notitia teſtium in cauſis examinandorum teſtes ipſos ab examine recedere, vel ſubornari; propterea nos huic malo occurrere volentes, prohibemus ijs dumtaxat exceptis cauſis, in quibus aliter Vicario noſtro viſum fuerit, teſtium nomina publicari.

Cum ſæpè contingat, in cauſis tàm ciuilibus, quàm criminalibus, per Vicarium noſtrum, vel per alios Iudices Eccleſiaſticos in qualibet inſtantia pronunciari, & ſententiari, prout in cedula, quæ non tunc Notario, ſed poſt multum temporis, & multoties poſt lapſum anni, & vlteriùs, conſignatur, vnde cauſæ diutiùs, quàm par eſt, producuntur, & collitigantes in expenſis defatigantur; Statuimus in poſterum cedulam ſententiæ, pronunciationis tempore, Notario cauſæ tradi, vel infra menſem à die, in quo pronũciatur; ſub eodem pronunciationis die publicandam, alioquin pronunciatio ipſa reſoluatur.

Vt calumnioſis anfractibus, & diſpendijs litigantiũ viam præcidamus, cum parum prodeſſet obedientia humilibus, ſi contemptus contumacibus non obeſſet; Statuimus, & ordinamus, quod factis per nuncium diligentijs, & relatione cum iuramento contra citatum, quauis ex cauſa in Cũria noſtra, & contumacem, ſufficiat bina citatio ad domum habitationis ſuæ dimiſſa, præſente aliquo de familia ipſius citati, etiamſi citatio ipſa citatum eumdem perſonaliter non apprehenderit, vt contra eundem citatum non comparentem, & contumacem, procedi poſſit legitimè ad excommunicatio-

nis

nis ſententiam, & alias pœnas iuris, & remedia tanquã contra verum, manifeſtum, & notorium contumacem.

Neminem ex familiaribus, vel officialibus noſtris, vel noſtri Vicarij, cauſarum in Curia noſtra vertentium vllo modo tutelam, patrocinium, vel curam ſuſcipere, nec vllo modo eas litteris, vel verbo commendare volumus, nec quidquam pro obtinenda à nobis, vel à Vicario noſtro gratia, vel iuſtitia accipere, nec etiam ſub generalibus verbis, pro dono, ſeu mercede aliqua accipienda tacitè, vel expreſsè inter ſe ad inuicem conuenire, ſub pœna excommunicationis.

Cùm contingere plerumq. ſoleat, vt aliqui bonum ius, quod in cauſis fouent, propter inopiam patrocinio deſtituti in iudicio conſequi iuſtitiam non valeant; ne in noſtro iudiciali foro hoc aliquando contingat, cùm ad nos pauperum, & miſerabilium perſonarum, præcipua protectio pertineat; præcipimus, & mandamus Vicario noſtro generali, vt ſedulò curet, quòd ſingulis annis Procurator, & Aduocatus Pauperum eligatur: electio autem ſorte fiat.

Deſcripta itaque nomina ſingulorum, qui Procuratoris, & Aduocati munere in noſtro Tribunali funguntur, in ſingulis ſchedulis in duabus vrnis reſpectiuè includantur; Ex quibus ſorte per Turnum ita extrahantur, vt qui extracti fuerint, Procuratoris, vel Aduocati Pauperum officium, anno exerceant; huiuſmodi verò extractio ſingulis annis coram Vicario noſtro in die feſto S. Silueſtri ita fieri debeat, vt cum ad vltimos deuentum fuerit, nominibus omnibus in vrnis repoſitis,

electio à principio rurſum incipiat. Quicumque verò extracti officia prædicta adminiſtrare recuſauerint, à Procuratoris ſiue Aduocati munere in noſtro iudiciali foro exercendo repellantur.

Pupillorum, Viduarum, miſerabilium perſonarum, pauperum Eccleſiarum, mercedis itidem, & etiam eas, quæ ſummam ducatorum argenti decem non excedunt cauſas ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, ordine iudiciorum non ſeruato, terminari præcipimus: & mandamus.

Cùm contingat ſæpè numero à ſententijs, vel decretis à quibus non eſt admiſſa appellatio, vel ſub conditione admiſſa à litigantibus ſubreptitiè, vel obreptitiè impetrari, admiſſæ appellationis reſcripta à Romana Curia, & Iudicibus noſtris præſentari, qui ſtatim abſque vlla veritatis diſcuſſione inhibitiones relaxant; vnde partes collitigantes graui iactura afficiuntur: Ideò omnibus, & ſingulis Iudicibus noſtris Synodalibus præcipimus, vt antequam relaxent inhibitiones, maturè diſcutiant; an ſit inhibitio concedenda necne ſtatuto breui termino ad dicendum contra reſcriptum, vt hac ratione aſtutijs, ac pertinacijs litigatorum obuiam eatur, & ſuperfluæ expenſæ, quæ quandoque graues ſunt reſecentur.

CAP. XXXVI.

De Conſtitutionibus.

Conſtitutiones Synodales à nobis in præſenti Synodo modò editas, & publicatas; ad Cleri, & Populi mores reformandos, diſciplinamq. Eccleſiaſticam in puritate fidei, Diuinorum cultu, Sacramentorum adminiſtratione, ſacrorum locorum, ac rerum veneratione, retinendam, firmas, & ratas eſſe volumus, & decernimus, & inuiolabiliter ab omnibus obſeruari præcipimus, & mandamus, propoſitis contra ſecus temerario auſu facere præſumentes, pœnis tàm ſpiritualibus, quàm corporalibus in illis contentis, alijſque arbitrio noſtro pro culpæ modo grauioribus infligendis, cæteras autem à prædeceſſoribus noſtris in Synodis editas, & publicatas, præter contentas in Synodo Prouinciali, irritamus, annullamus, & nullius roboris eſſe decernimus, & declaramus.

Ne autem earumdem Conſtitutionum ignorantiam quiſquam prætendere poſſit, mandamus omnibus, & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Archipresbyteris, Prioribus, Rectoribus, alijſq curam animarum habentibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, vt intrà bimeſtris ſpatium, poſtquam impreſſæ fuerint, eas ſibi comparaſſe debeant; Qui verò elapſo termino penes ſe eaſdem habere neglexerit, vnius nummi aurei pœnam ſoluat, & nihilominus ad exequutionem huius decreti omnibus iuris remedijs compellatur.

CAP. XXXVII.

De Pœnis.

TRanſgreſſoribus Synodalium noſtrarum Conſtiſtitutionum, ac Decretorũ pluribus in locis nulla eſt adiecta pœna, quia cupimus omnes, ad quos ſpectat, ad eas, & ea obſeruanda, duci non formidine multæ, ſed recti, ac virtutis amore; verum animaduertentes, quod ſi ab eis omnis pœnarum metus arceatur, conditio fragilis naturę noſtræ ad peccādũ pronior, patentē ſibi ſternat viam ad contumaciam; Idcirco ſtatuimus, & decernimus omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, qui contra noſtras Synodales conſtitutiones, & decreta deliquerint, pœnis tàm pecuniarijs, quàm exilij, & alijs etiam corporalibus noſtro arbitrio fore puniendos, & ne quis prætextu ignorantiæ, vel alterius fictionis excuſare ſe valeat, volumus elapſo bimeſtri à die, quo fuerint venalia expoſita noſtræ Conſtitutiones, & Decreta, omnes tàm abſentes, quàm præſentes ad earum obſeruantiam teneri, eoſq. omnes, ac ſingulos afficere, ac ſi per trinam, ac peremptoriam monitionem fuiſſent perſonaliter admoniti.

Confidimus autem in Domino, omnes, ad quos ſpectabit, futuros eſſe ſollicitos ad integram harum Synodalium Conſtitutionum obſeruantiam, Deo adiuuante, quod ipſe præſtare dignetur, qui in Trinitate perfecta viuit, & regnat, cui ſoli honor, & gloria. Amen.

TAXA

Seruanda per Cancellarios Curiæ Archiepiſcopalis, circa ipſorum mercedem, in recipiendis inſtrumentis, & alijs actis Ciuilibus, & Criminalibus eiuſdem Curiæ, ſeu fori Eccleſiaſtici, eiſque exemplandis, pro quibus eis licebit accipere ſummas infraſcriptas.

ET primò, pro actis faciẽdis in executione, ſeu expeditione diſpenſationis matrimonialis ſuper impedimento quarti Conſanguinitatis, vel affinitatis gradus; ipſa ſententia, & illius copia authentica comprehenſis, libras quatuor. lir.4

Pro diſpenſationibus autem tertij, & quarti gradus libras quinque. lir.5

Pro diſpẽſationibus autem cuiuſuis ſtrictioris gradus; etiamſi impedimenta ſint duplicata, libras ſeptem, & ſolidos octo, lir.7 8

Pro fide paupertatis Sponſorum Romam tranſmittenda, comprehenſo examine teſtium, lib.vnam. lir.1

Pro fide vitę facta in Palatio coram Ordinario. lir.1

Pro licentia Matrimonij contrahendi omiſſis denunciationibus, comprehenſo examine teſtium. lir.2

Dum

Dum verò omittitur vnica tantum denunciatio, vel duæ, libram vnam. lir. 1

Pro licentia verò conceſſa abſque renouatione denunciationum, ſolidos duodecim. lir. 12

Pro licentia matrimonij contrahendi conceſſa, præuio examine Teſtium, aut alijs iuſtificationibus, libram vnam cum dimidiâ. lir. 1 10

Dum tamen non ſint exteri, vel aduenæ coniungēdi, iuxta litteras S. Congregationis, pro quibus nihil omninò recipi poſſit, niſi vt ſupra.

Pro licentia data Clerico perhibēdi teſtimonium coram Iudice Laico ſolidos duodecim. lir. 12

Pro licentia data Clerico comparendi coram Iudice laico ſolidos duodecim. lir. 12

Pro licentia Regularibus data alloquendi Moniales, ſolidos duodecim. lir. 12

Pro licentia ingrediendi Monaſterium cauſa educationis, vel Monachationis, lib. vnam, & ſolid. decem. lir. 1 10

Pro fide morum, & aliarum qualitatum ingreſſuri Religionem, comprehenſo examine teſtium libram vnam, cum dimidia. lir. 1 10

Pro litteris Commendatitijs libram vnam. lir. 1.

Pro fide idoneitatis alicuius Confraternitatis ad obtinendam aggregationem libram vnam. lir. 1

Pro expeditione monitorij, ſeu ſignificauit, auctoritate Apoſtolica conceſſi, libras duas cum dimidia. lir. 2 10

Pro monitorio, ſeu ſignificauit, ab Ordinario con-

ceſſo ſolidos ſexdecim. lir. 16

Pro litteris patentibus datis Lauretum, ſeu in alias partes profecturo, ſolidos decem. lir. 10

Pro rogitu inſtrumenti renũciationis ad formam Concilij Tridentini, factæ coram Ordinario, & pro illius copia authentica, libras ſeptem, ſolidos octo. lir. 7 8

Pro litteris dimiſſorijs datis Clerico ad conſequẽdum ordines minores, vel ad alios etiam altiores ordines, ſiue ad vnum, ſiue ad plures. lir. 1 10

Pro documento collationis ordinum in ordinatione generali libram vnam. lir. 1

Dum verò ordinatio eſt particularis. lir. 1 10

Si verò ordinantur extra tempora, ſi vnus ſit tantum ordinandus, ſeu duo pro quolibet lir. 2

Sin autem ſint plures pro ſingulo. lir. 1

Pro litteris patentibus facultatis audiendi confeſſiones Sacramentales, libram vnam. lir. 1

Pro litteris patentibus concionatorum. lir. 1

Pro frãchitia Clerici à gabellis ſolid duodecim. lir. 12

Pro inſtrumento patrimonij Eccleſiaſtici, cum copia authentica, libras quatuor. lir. 4

Pro electione Clerici in alumnum Seminarij, & alijs neceſſarijs pro illius ingreſſu libras ſex. lir. 6

Pro tranſumpto coram Ordinario cum copia authentica à libra 1. vſque ad libras 3. comprehenſa mercede, ſolidorum 12. pro copia: lir. 3

Quod ſi copia eſſet oblonga, ita vt excederet dictam ſummam ſolidorum 12. tũc ad ratam longitu-

gitudinis & laboris inſtruměti fiat ſolutio Copiſtæ.

Pro inſtrumento locationis, ſeu conceſſionis in emphyteuſim, nempe pro illius rogitu. lir. 1 10

Pro copia authentica dicti inſtrumenti, ſi bonorum valor æſtimatur vltrà libras 200. lir. 4

Si verò valor non excedet ſummam ducentarum librarum, libras duas. lir. 2

Pro inſtrumento affrancationis, cum copia authentica, libras ſeptem, & ſolidos octo. lir. 7 8

Pro collatione beneficij Curati, cum actis neceſſarijs, & copia authentica, libras ſexdecim. lir. 16

Si verò redditus dicti Beneficij Curati non excedat libras quadringentas, libras octo. lir. 8

Pro collatione Capellaniæ, ſeu alterius Beneficij ſimplicis, libras quatuor. lir. 4

Pro collatione Canonicatus Eccleſiæ Metropolitanæ, libras ſexdecim. lir. 16

Pro collatiòne Canonicatus Collegiatę S. Mariae Vinearum, libras decem. lir. 10

Dum verò loco collationis fiet proceſſus fulminatus vigore litterarum Pontificiarum, ſufficiant duæ tertiæ partes expenſarum, quę fiunt in collationibus ſupradictis reſpectiuè

Pro proceſſu vigore commiſſionis, ſi in euidentem, dum valor bonorum erit infra ſummam librarum mille, libras nouem. lir. 9

Si ſupradictam ſummam excedat, omnibus computatis, libras ſexdecim. lir. 16

Pro

Pro habilitatione à iuramento libram vnam lir. 1
Pro edicto faciendo pro Eccleſia, Capella, vel alio beneficio, libram vnam. lir. 1
Pro inhibitione generali ad fauorem alicuius Clerici, computatis exhibitionibus, & copia authentica inhibitionis, libras tres lir. 3
Pro inhibitione verò particulari, librã vnam. lir. 1
Pro mandatis dirigendis Scribis S. Georgij pro locis illius comperarum, à loco vno, vſque in ſummam locorum viginti ſoluatur. lir. 1 10
Pro maiori autem ſumma ſolidum vnum pro quolibet loco.
Pro depoſitione petitionis, aut alterius ſcripturæ ſolidos tres. lir. 3
Pro præcepto, aut notificatione. lir. 3
Pro quolibet iuramento. lir. 3
Pro ſententia interlocutoria lir. 6
Pro ſententia diffinitiua in cauſis Ciuilibus, quãdo importantia cauſæ, non excedit libras mille, libras tres. lir. 3 0
Vltrà dicta ſummam, libras octo. lir. 8
Omninò abrogato abuſu recipiendi quartam partem ſalarij.
Pro exhibitione, & productione cuiuslibet ſcripturæ, ſolidos tres. lir. 3
Pro quouis Interrogatorio, & poſitione denarios ſex. lir. 6
Pro examine ſuper quolibet titulo. lir. 3
Pro lectura cuiuſuis ſcripturæ in examine. lir. 2

Pro litteris citatorijs, & inhibitorialibus in cauſis delegatis cum copia authentica. lir. 2

Pro illis verò auctoritate Metropolitani conceſſis comprehenſo ſigillo, libram vnam cum dimidia. lir. 1 10

Pro depoſito pecuniarum penes Cancellarios. lir. 14

Pro mandato de manutenendo. lir. 2 10

Pro litteris ſubſidialibus, & alijs. lir. 14

Pro ſubſcriptione Proceſſus Ciuilis, ſeu Criminalis requiſiti per aliquam partium lir. 10

Pro examine teſtis ſummarij ſine titulis. lir. 6

Pro licentijs, ſeu mandatis executiuis obſeruetur taxa fori laici; idemq. fiat de cæteris actis ſuperiùs non expreſſis, vſque quò aliter à nobis prouiſum fuerit.

In Cauſis Criminalibus.

PRo denunciatione, aut querela, vel ſimili. lir. 8
Pro Præcepto, aut notificatione, ſolid. tres. lir. 3
Pro mulcta rei, ſeu teſtium, & alia quauis interlocutoria, ſolidos ſex. lir. 6
Pro Relaxatione Cedulorũ excõmunicationis. lir. 10
Pro conceſſione mandati de capiendo, ac ipſo mandato, ſolidos ſex. lir. 6
Pro inquiſitione contra Reum. lir. 12
Pro ſententia definitiua comprehenſa contumaciali, libras ſex. lir. 6
In delictis grauioribus, vt in homicidio, & ſimilibus, vſque in libras ſeptem. lir. 7
Amoto omninò abuſu accipiendi quartam partem (vt dicitur) ſalarij Iudicis.
Pro examinato, ſeu conſtituto Rei extra tormenta libram vnam. lir. 1
Pro conſtituto, ſeu examinato in tormentis. lir. 2
Pro examine teſtis, pro informatione. lir. 6
Pro omnibus actis Clericorum Carceratorum ob delationem armorum comprehenſa etiam relaxatione libras ſex. lir. 6
In examine teſtium ad defenſam ſeruetur taxa ſupradicta in cauſis Ciuilibus: Idemq. ſit dictum de depoſitione poſitionum, & interrogatoriorum.

INDEX
CAPITVLORVM

DE Fide Catholica profitenda. Cap. I. pag. 5
De Doctrina Chriſtiana. Cap. II. pag 7
De dierum feſtorum obſeruatione. Cap. III. pag. 10
De Eccleſiis earumq. immunitate. Cap. IV. pag. 14
De honeſtate, & reuerentia in Eccleſiis ſeruanda: Cap. V. pag 16
De Reliquijs, & veneratione Sanctorum. Cap. VI. pag. 19
De ſacris Imaginibus. Cap. VII. pag. 2[illegible]
De Miraculis. Cap. VIII. pag. 23
De Incantationibus, Diuinationibus, Sortilegijs, & Superſtitionibus tollendis. Cap. IX. pag. 24
De Hæreticis denunciandis. Cap. X. pag. 26
De Apoſtatis corrigendis. Cap. XI. 26
De Maledicis, & Blaſphemis compeſcendis. Cap. XII. 27
De Vicarijs foraneis. Cap. XIII. 28
De Officio Parochi. Cap. XIV. 30
De Sacramentorum adminiſtratione. Cap. XV. 35
De Sacramento Baptiſmi. Cap. XVI. 36
De Sacramento Confirmationis. Cap. XVII. 38
De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Cap. XVIII. 39
De Sacroſancto Miſſæ ſacrificio. Cap. XIX. 43

De Pœnitentiæ Sacramento. Cap.XX. 46
De Caſibus reſeruatis. Cap.XXI. 48
Caſus reſeruati. 49
De Extrema vnctione. Cap.XXII. 51
De Ordinis Sacramento. Cap.XXIII. 53
De *Matrimonij Sacramento. Cap.XXIV.* 56
De *vita, & honeſtate Clericorum. Cap.XXV.* 59
De *Monialibus. Cap.XXVI.* 63
De *bonis Eccleſiæ non alienandis. Cap.XXVII.* 64
De Eccleſiarum, Oratoriorum, aliorumq. locorum piorum Adminiſtratoribus. Cap.XXVIII. 71
De Prædicatione Verbi Dei. *Cap.XXIX.* 73
De Indulgentijs. Cap.XXX. 75
De Quæſtoribus. Cap.XXXI. 76
De Energumenis exorcizandis. Cap.XXXII. 78
De Exequijs, & Funeribus. Cap.XXXIII. 80
*De Proceſſionibus. Cap.*XXXIV. 84
*De iudiciali foro Archiepiſcopali. Cap.*XXXV. 87
*De Conſtitutionibus. Cap.*XXXVI. 91
*De Pœnis. Cap.*XXXVII. 92
Taxa. 93
In Cauſis Criminalibus. 99

FINIS.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrigend.
10	3	Sicque	Siquè
11	1	nobiles	nubiles
	29	Sacri	Sacramenti
17	15	ſacrilegijs	ſacrilegis
19	27	piis	pij
37	9	admit-	admittan-
42	11	vel (liter	velo
45	29	non manua-	manualiter
51	10	Olei,	Olei deferat,
74	13	munità	monita
79	21	biliſatræ	bilis atræ

SYNODVS

DIOECESANA IANVENSIS

Ab Ill.mo, & Reu.mo Domino

F. IVLIO VINCENTIO GENTILI

ORD. PRÆD.

ARCHIEPISCOPO IANVENSI,

Et

SANCT.MI D. N.

INNOCENTII PP. XI.

ASSISTENTE.

Celebrata anno 1683. die 6. Maij, & duobus ſequentibus.



GENVÆ, M. DC. L. XXXIII.

Ex Typographia Ioſephi Bottarij, *Superiorum permiſſu.*

Imprimatur

Fr. Thomas Maria Boſius Inquiſitor Genuæ.

1683. die 19. Nouembris.

Impr. ex auth. Excell., & Illuſtriſs. Magiſtratus Inquiſit. Status.

Ioannes Franciſcus Caſtagnola Cancell.

Fr. Iulius Vincentius Gentilis Ord. Præd. Dei, & Apoſtolicę Sedis gratia Archiepiſcopus Ianuenſi, & Sanctiſſimi D.N. Papæ Innocentij XI. Aſſiſtens.

Vniuerſo ſuæ Diæceſis clero fælicitatem in Domino.

SYnodalia decreta in frequenti veſtrum conſeſſu iam promulgata, eadem vobis nunc impreſſa exhibemus, vt ad eorum præſcriptum mores componere, populos in viam ſalutis dirigere, Eccleſiaſticæque diſciplinæ nitorem in vobis ipſis reſtituere aptiùs queatis. Quamuis autem diſciplina omnis videatur fortè in præſenti non eſſe gaudij, ſed meroris: poſtea tamen fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua, erigite, dilectiſſimi, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Mementote Præpoſitorum veſtrorum ampliſſimorum S. Antiſtitum, Prædeceſſorum noſtrorum, qui in tot Sanctiſſimis Synodis Prouincialibus, & Diæceſanis, à quibus hęc pauca conſultò ſelegimus, vobis loquuti ſunt verbum Dei, eadem quò ſeruare iugiter ſtudeatis, enixè precamur, vt ſpiritum rectum innouet Deus in viſceribus veſtris.

Ad Hæbr. c. 12.

C. 15.

Fr. Iulius Vincentius Gentilis Ordinis Prædicatorum, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Ianuenſis, & Sanctiſs. D. N. Papæ Aſſiſtens.

Vniuerſo Ciuitatis, & Diœceſis ſuæ Clero, & Populo ſalutem in Domino.

Eccl. 17.

SAcros Antiſtites, tanquam circumſpectores in Excelſis ſedentes ad ſpeculandum apprimè condecet in ſuis reſpectiuè Diœceſibus vndique ita circumſpicere, vt in omnibus eorum curæ commiſſis omnia ſpeculantes, nihil, quod vel incongruum, vel ab Eccleſiaſticis Sanctionibus deuium irrepſiſſet, ipſorum, aut euaderet intuitum, aut remaneret improuiſum. Quod quidem nec aptiùs, nec opportuniùs, quam in Sacro Synodali Conuentu diſcutiendum, prouidendum de communi totius cætus Conſilio haud exequi poſſe cenſemus. Diſſipantur enim cogitationes, vbi non eſt Conſilium: vbi verò plures Conſiliarij confirmantur. Quocircò peracta, adiuuante Deo, noſtræ Diœceſis viſitatione, reliquum iam eſt, vt Sacra Diœceſana Synodus in vnum cogatur, qua diſciplina Eccleſiaſtica, ſi neceſſitas id poſceret, reſtituatur; componantur mores; tollantur abuſus; concilietur pax;

Prou. 15.

pietas, & Charitas Chriſtiana exemplis validiùs, quam verbis promoueatur in Populis; qua denique emendare noſcamus in melius quæ ignoranter peccauimus, ne ſubito præocupati die mortis, quæramus ſpatium penitentiæ, & inuenire non poſſimus.

Synodum ergo Diæceſanam preſenti Edicto indicimus, & pro indicta haberi volumus celebrandam in noſtra Metropolitana Sancti Laurentij Eccleſia, & die ſexta proximi futuri Menſis Maij diuina fauente gratia, incohoandam, per duos immediate ſubſequuturos dies duraturam.

Propterea vniuerſos monemus, & ſingulos, dignitates, Canonicatus, præbendas & quæuis alia beneficia curata, & ſimplicia obtinentes, regularibus non exceptis, vt in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pænis à iure Statutis, alyſque nobis arbitrarijs, præſcripta die in habitu eorum vnicuique competenti ſummo mane in dicta Metropolitana perſonaliter (niſi legitime impediti) cauſa nobis prius probata, conueniant, indeqne non audeant diſcedere, priuſquam a Nobis dimittantur. Interim mandamus in Metropolitana, & Collègiatis Eccleſijs, tàm Ciuitatis, quam Diæceſis recitari ſingulis diebus litanias Sanctorum, & preces, & ad huc in dictis, & alijs Parochialibus Ciuitatis, & Diæceſis celebrari ſingula quaque feria quinta Miſſam de Spiritu Sancto, donec Synodus abſoluta fuerit. Hortamur denique omni cum Paſtorali affectu Regulares, moniales,

quini-

quinimmo, & dilectiſſimum Populum Sæcularem ptas ad Dominum Deum bonorum omnium auctorem, fundere preces, vt non ſolum Nobis ipſis, verum etiam omnibus ijs, qui in Synodo ipſa partem aliquam habebunt, dignetur gratia Sancti Spiritus fauere, ita vt illuminati in ijs quæ agenda ſunt, quæ ſit ipſius Sancta Voluntas eam ipſam facili negotio, & prompto animo exequamur. Repleat nos Dominus Deus ſuis cæleſtibus benedictionibus, & Spiritum rectum innouet in viſceribus noſtris.

Dat. Genuæ ex noſtro Archiepiſcopali Palatio die 4. Aprilis 1683.

FRATER IVLIVS VINCENTIVS GENTILIS ARCHIEP. IANVENSIS.

Iacobus Leonardus Badaracus Cancell.

PARS PRIMA,

DE RELIGIONE.

CAPVT PRIMVM.

De Profeſſione fidei.

Fidei profeſſionem iuxtà S. Tridentini Concilij Decretum, & Pij IV. conſtitutionem, antequam munus exerceant, emittant omnes obtinentes quaſcumque dignitates, Canonicatus, Beneficia, tàm Curata, quàm ſimplicia, Concionatores, Confeſſarij, Doctores, Lectores cuiuſcumq; facultatis, Ludimagiſtri, Medicinæ, & Chirurgię Profeſſores, Vicarius noſter Generalis, Vicarij Foranei, Cancellarij, Notarij, cæterique noſtrę Curię Archiepiſcopali inſeruientes; omnes de-

nique ad hanc noſtram Synodum conuocati intereſ-ſentes forma in calce huius apponenda.

CAPVT II.

De Sacra Scriptura, eiuſque abuſu.

NEmo extorquere audeat Sacræ Scripturę ſenſum. Parochi, & Verbi Dei Concionatores Apoſtolicum hoc munus exerceant iuxta SS. Patrum doctrinam, ſummorumq; Pontificum conſtitutiones ſub pęna à nobis infligenda.

CAPVT III.

De præbenda Theologali.

IVxta mentem S. Concilij Tridentini omnino volumus, vt noſtrę Metropolitanæ Eccleſię Theologus Sacram exponat Scripturam, vel latino Sermone qualibet feria quinta, vel Italico qualibet Dominica in Eccleſia, aut moralem, ſiuè ſcolaſticam Theologiam legat.

CAPVT IV.

De Doctrina Chriſtiana.

PArochi omnes quolibet Dominico die perſonaliter (niſi graui cauſa, & nobis probata impediti)

dīti) doctrinam edoceant Chriſtianam ; mulctandi pęna vnius aurei quotieſcumq; defuerint, aplicandi eiuſdem doctrinæ ſodalitati.

Inter miſſarum ſolemnia enunciabunt populo indulgentias, & priuilegia Societati prędictę à ſummis Pontif. conceſſa.

Vltrà ſonum Campanæ Eccleſiæ conuocentur pueri, cæterique fideles per clericum tintinnabulum pulſantem, per Parochiæ vicos; qui ſi neglexerit ad ordines non promouebitur.

Ludimagiſtri ſemel ſaltem in hebdhomada diſcipulos ſuos fidei rudimenta edoceant.

Parochi ſuper hæc omnia diligenter aduertant, vt exequutioni mandentur ſub pæna iam enunciata.

CAPVT V.

De Sacramentis in genere.

IN adminiſtrandis Sacramentis, non ſolum adhibeatur materia, & forma cum debita intentione, verum etiam ſolemnitas, ritus, & Cæremonię à Paulo V. in Rituali Romano pręſcriptæ.

Parochi frequenter doceant populum inter concionandum, ac in doctrina Chriſtiana valorem, & effectum Sacramentorum, & quid neceſſe ſit ad ea validè, & dignè recipienda,

Claues tabernaculi Santiſſimæ Euchariſtiæ, & Oleorum Sacrorum Parochi penes ſe retineant.

CAPVT VI.

De Baptiſmo.

OMnes, ad quos ſpectat, teneantur accedere ad fontem baptiſmalem in die Sabbathi Sancti ſub pæna duorum Aureorum pijs vſibus applicandorum.

Ex Vrbanis Parochis nullus audeat baptizare infantem ruralium Parochiarum ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis, ipſo facto, incurrenda.

Sub eadem pæna teneantur omnes Parochi inquirere cuius Parochiæ ſint pueri baptizandi.

Immò, & ſi detur eis per Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem licentia baptizandi illos in vrbe, Vrbani Parochi debent ſemper diſtinctè adnotare in libro baptizatorum Parochiæ eorundem infantium ruralium originem.

Abuſus infundendi aquam baptiſmalem in domibus priuatis penitus abrogetur, ſub pęna ſuſpenſionis, ipſo facto, miniſtrantibus, & hoc nullo prętextu fiat, etiam mortis imminentis, vel quouis alio colore; ſed periculo imminente, potius occurratur infantibus aqua communi, caſu quo nullo modo poſſint ad Eccleſiam deferri.

Infantes recenter nati quamprimum, & ad ſummum infra octo dies, deferantur ad ſacrum baptiſmi fontem, nè imbaptizati decedant ſub pęna excommunicationis negligentibus.

Patrini non admittantur, niſi quos pręſcribit Rituale Romanum.

CAPVT VII.

De Confirmatione.

ANtequam hoc Sacramentum adminiſtretur, Parochi doceant fideles debere eſſe expurgatos omni labe mortali ad eius fructum ſuſcipiendum.

Ad viridem reducatur obſeruantiam quod ſingillatim adnotentur nomina, & cognomina Confirmatorum, & Patrinorum in libro peculiari à Parocho ſeruando.

CAPVT VIII.

De Eucharistiæ Auguſtiſſimo Sacramento, eiuſque adminiſtratione.

IVxta diſpoſitionem Synodi Prouincialis, noſtra Metropolitana Eccleſia excepta, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſeruetur in Tabernaculo Altaris maioris.

 Su-

Super nimis frequentem expoſitionem huius Sacramenti inuiolabiliter ſeruandum pręcipimus Edictum à Nobis emanatum ſub die 30. Decembris 1681. in fine deſcribendum, cuius obſeruantiám exactè volumus in omnibus Eccleſijs, & quatenus in Oratorijs, non niſi in priuilegiatis, & de Noſtra licentia.

Addimus, vt nulla detur benedictio cum eodem Sanctiſſimo Sacramento, niſi in fine Orationis 40. horarum, & in tertia Dominica cuiuslibet menſis poſt Parochialem Proceſſionem.

Parochus non vocetur raptim ad adminiſtrandum infirmis iam confeſſis ſacrum Viaticum, ſed pręmoneatur de Confeſſione ipſorum, vel à confeſſario, qui eorum confeſſionem excepit, vel à domeſticis. Sacrum Viaticum non deferatur ad infirmos, niſi poſt ſignum conſuetum Campanę maioris, & pręcedente ſolita tintinnabili pulſatione.

Neque fas ſit pro reficiendis Sacro Viatico miſſam celebrare in Oratorio priuatę domus; neque illud ad infirmos deferri niſi, per Sacerdotem approbatum ad audiendas Confeſſiones.

Publicis peccatoribus irrogandam volumus pęnam debitam, ſi acceſſerint ad Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, antequam Parochum doceant de reſcipiſcentia.

Sub pęna nobis arbitraria prohibemus abuſum exquirendis eleemoſinas, etiam in Paſchate per cle-

ricum, vel quemcumque alium à communicantibus.

Qui deferunt Sacrum Viaticum ad infirmos, omnes, nullo excepto, induantur Cotta, & Stola.

CAPVT IX.

De Miſſę Sacrificio.

NVllus Sacerdotum audeat accedere ad tremendum, ac Sacroſanctum Miſsę Sacrificium celebrandum, niſi indutus veſte talari iuxta tenorum Edicti infrà inſerendi.

Admonemus omnes Sacriſtas Regularium, nè admittant huiuſmodi contumaces ad celebrandum in ſuis Eccleſijs, in quibus adhuc celebrantes à pęnis iam inflictis per pręfatum Edictum non fiunt immunes.

In qualibet Sacriſtia etiam monialium affligatur tabella, in quà ſeriatim, & diſtinctè conſtet de omnibus obligationibus, pręſertim miſsarum illius Eccleſię.

Fiat etiam Catalogus onerum Miſsarum per ſingulos dies, quibus ſatisfactum fuerit à quocumque Sacerdote, cui id onus incumbit, iſque in libro propria manu notabit quoties ſingulis vicibus ſatisfecerit, & ſi falſum, (quod non creditur) ſcripſiſse probabitur, puniatur pæna quinque aureorum: qui vero

ro non affixerint dictam tabellam pęna duorum pijs vſibus applicandorum.

Circa Miſsas Manuales pro noſtra Metropolitana, & alijs Eccleſijs omnino ſeruetur Bulla Vrbani VIII. de celebratione Miſsarum cum declarationibus S. Congregationis Concilij.

In Collegiatis, Sacriſta, ſeù deputatus, in alijs verò teneatur Parochus, ſeu Rector rationem addere de perceptis eleemoſinis.

In Sacriſtia cuiuſcumque Eccleſię, dum Sacerdotes ante, & poſt Miſsam orant, nulli altà voce confabulentur ſub pęna Nobis arbitraria.

In Oratorio priuatę domus, vbi à Papa conceditur celebratio Miſsę exceptis ſolmnioribus feſtis ex Sacra Rituum Congregatione 17. Nouembris 1607. declaramus hos feſtos dies eſse in Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſsumptione B. M. Virginis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli; à Synodo prouinciali additur feſtum Corporis Chriſti, & à Nobis, Natiuitas Sancti Ioannis Baptiſtę, in feria quinta maioris hebdhomadę, & in Sabbato Sancto.

Illis diebus, quibus celebrari conceditur in dictis Oratorijs vnica tantum Miſſa celebrari permittitur, etiam Regularibus, iuxta litera Sacræ Rituum Congregationis infrà deſcribendas.

CA-

CAPVT X.

De Pænitentiæ Sacramento.

IN Oratorijs, ſiuè Capellis, in quibus non ſeruatur Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, non adminiſtretur Sacramentum pænitentię inconſulto Parocho ſub pęna interdicti ipſis Oratorijs, ſeù Capellis ipſo facto incurrenda, & Capellani inſeruientes Oratorijs publicis in diebus ſolemnioribus obligentur ad faciendum Sacrum in Eccleſia Parochiali.

Non permittant Parochi, nec aliarum Eccleſiarum Rectores Sacerdotem aliquem pænitentiæ Sacramentum miniſtrare in ſuis Eccleſijs, niſi exhibeant facultatem in ſcriptis obtentam ab Ordinario, etiam ſi ille aliàs Parochus fuerit.

Sacerdotes quamuis approbati non audeant excipere Confeſſiones Sæcularium, niſi induti Cotta, & Stola, nec vllatenus audiant Confeſſiones Fęminarum genuflexarum ante Confeſſionarium ſub pęnis vel à iure latis, vel Nobis arbitrarijs.

Sacerdotes, tàm Sęculares, quam Regulares cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, vel Societatis non approbati, Confeſſiones nullatenus excipiant, neque abſoluere attentent, etiam à venialibus iuxta Decretum Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papę Vndecimi emanatum ſub die 12. Februarij 1679. quod infrà apponetur.

CA-

CAPVT XI.

De Caſibus Reſeruatis.

VLtrà reſeruatos in Synodo Eminentiſſimi Cardinalis Duratij pię mem: reſeruamus etiam Nobis caſum detinentium, occupantium, vel non reuelantium bona Eccleſiaſtica.

Ad octauum, poſt illa verba attentatio pudicitiæ monialium, addimus etiam puellarum, aliarumque mulierum in quouis monaſterio degentium.

Ad decimum addimus quoque reſeruationem de falſa depoſitione in conſtitutione Patrimonij.

CAPVT XII.

De Indulgentijs.

NEc Sæcularis, nec Regularis Eccleſiæ Rector cuiuſcumque ſit Ordinis, vel Societatis audeat Indulgentias promulgare, niſi ſeruata forma Concilij Tridentini, & à Nobis prius recognitas.

CAPVT XIII.

De Sacramento Ordinis.

HAbitum Clericalem ſine Noſtra licentia nemo induat, nec ad primam tonſuram, aut

minores

minores ordines ſuſcipiendos accedet, niſi exhibita fide Parochi de baptiſmo, ſcuſcepta confirmatione, ætate, natalibus, vita, & moribus, & præſertim de doctrinæ Chriſtianæ frequentatione, nec non atteſtatione ludimagiſtri.

Ad maiores verò promouendi deferant litteras teſtimoniales de exercitio priorum ordinum, frequentia debita Sacramentorum, ac de ſeruitio Eccleſiæ pręſtito, & de opera data exercitijs ſpiritualibus iuxta pijſſimam mentem Sanctiſs. D. N. Innocentij Vndecimi reſpectu promouendorum ad ordines ſacros, ad quę exercitia adimplenda etiam teneantur promouendi ad ordines minores.

Inſtrumentum quoque Patrimonij, ad cuius titulum promoueri intendunt; quod quidem reddat ſingulis annis fructum ſeù penſionem ſcutorum argenti coronę ſtampæ Genuæ 35. deducta parte coloni.

In eodem inſtrumento conſtet de aſſignatione, ſeù libera donatione, pacifica poſſeſſione prædictorum bonorum, præuio iuramento duorum teſtium, qui & deponant de nullo euictionis periculo. Adſit quoque iuramentum ſincerè ſine dolo, aut ſimulatione donantis. Nec deſit fides publicationis factæ à Parocho inter miſſarum ſolemnia, & quod nulla facta fuerit oppoſitio ad formam Synodi Eminent. Duratij.

Examinatores ordinandorum ſerio admonemus, ne hoc munus negligant, ſed diligenter ſcrutentur

 ſuffi-

ſufficientiam, ac doctrinam promouendorum.

CAPVT XIV.

De Exorciſmis.

NEmini Sacerdotum exorcizare liceat ſine noſtra in ſcriptis licentia ſub pœna 10. aureorum pro qualibet vice pijs vſibus applicandorum.

Qui verò à nobis licentiam obtinuerint, parent ſe ad hoc munus exercendum armis ſpiritualibus, ieiunijs ſcilicet, & orationibus: nec exorciſmi ſint in locis priuatis, ſed in Eccleſia, honeſtis, pijſque adſtantibus fidelibus ad præſcriptum Ritualis Romani.

Super Energumenos nullus audeat imponere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, neue eiſdem exorcizandis illud exponere ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

CAPVT XV.

De matrimonio.

STudeat Parochus docere hoc Sacramentum contracturos, vt illius ſanctitatem bene agnoſcant, accedantque diſpoſiti, omni labe mortali expurgati. Benedictionem verò ſub quouis prętextu nullatenus omittant.

Denunciationes prȩmittantur ad formam Concilij Tridentini tempore prȩſcripto, & explicetur in eis quȩ prima, quȩ ſecunda, quȩ tertia.

Poſt tertiam intercedat ſaltem vnius diei ſpatium antè matrimonij celebrationem.

Si contrahentes ſine duarum Parochiarum denunciationes fiant in vtraque, nȩc eas Parochus faciat, niſi præhabito conſenſu contrahentium, ſiue parentum eorum, vel alicuius eorumdem ſponſorum curam gerentis.

Non iungantur in matrimonium vagi, nec exteri, ſiue alterius Diæceſis, niſi prius conſtet de ſtatu libero ipſorum ad formam litterarum Sacræ Romanæ Inquiſitionis, & noſtra præcedente licentia.

Tranſeuntes ad ſecundas nuptias legitimè doceant in Curia noſtra Archiepiſcopali de alterius ſponſi obitu, iuxta inſtructionem infrà ponendam.

Parochus deſcribat in libro ad formam Ritualis Romani, matrimonia cum nomine, & cognomine contrahentium, & teſtium.

Benedictionem ſponſis nolumus impertiri in domibus, oratorijs priuatis, vel publicis, nec in Ecclesijs monialium, niſi ſint parochiales, in quo caſu fiat in loco vbi moniales proſpectum non habeant.

Antè matrimonij celebrationem per verba de prȩſenti, caueant ſponſi à copula ſub excommunicationis pæna ipſo facto incurrenda, cuius abſolutionem Nobis reſeruamus.

Sub eadem pęna caueant, nè fraude, & dolo Parochum adeant, ſiue ipſo inſcio, & inuito, adhibitis ſimul, ſiue inſcijs, ſiue conſcijs teſtibus, & per verba mutui conſenſus matrimonium celebrent; cui inſuper pænæ addimus mulctam quingentorum ſcutorum, ſi ſponſi ſint diuites, pijs vſibus applicandorum; Si vero pauperes exilij per decennium à noſtra Diæceſi; Quam etiam excommunicationem incurrere volumus teſtes doloſos, & quoſcumque alios fautores, ſicut etiam alios directè vel indirectè matrimonij libertatem violantes iuxta Synodum Emin. Duratij.

Ciues Genuenſes, dum tempore ruſticationis commorantur in villis, ad eorum matrimonijs aſſiſtendum declaramus Parochum legitimum alterutrum; ſiue vrbis, ſiue ruris. Circa licentias dandas à Parochis obſeruetur omnino Synodus Prouincialis.

PARS SECVNDA

De actu præcipuo religionis, qui eſt cultus.

CAPVT I.

De horis Canonicis, & diſciplina Chori.

TRademus tabellam in ſacriſtijs Cathedralis, & Collegiatarum affigendam, in qua ſtatuetur circa vtrumque caput quid agendum ſit, tam per Canonicos, quam per Capellanos earumdem Eccleſiarum.

CAPVT II.

De feſtorum obſeruantia.

DIes feſti ij colendi ſunt, qui in Bulla Vrbani Octaui de feſtorum obſeruantia enumerantur.

Noſtra Metropolitana Prouincia feſtiuè colat diem Conceptionis B. V. M., Ciuitas Genuenſis cum Suburbijs diem Diui Bernardi.

Singulis Dominicis diebus inter miſſarum ſolemnia Parochi publicent feſtiuos dies ſequentis hebdomadæ; vt ſciant fideles ſe ab omnibus ſeruilibus operibus abſtinere debere ſub mortali, iuxtà primum

Eccleſiæ, & tertium decalogi pręceptum.

CAPVT III.

De proceſſionibus.

TAm in Ciuitate, quam in Diæceſi fiant proceſſiones, præuia monitione Parochi ad populum, vt vnuſquiſque ſe diſponat ad Deum deuotè deprecandum.

Quæ fieri ſolent proceſſionis pro feſto Corporis Chriſti, infrà huius octauam omnes abſoluantur, & vnaquæque intra limites propriæ Parochię, niſi aliter omnino fieri queat, nè rixæ, & tumultus inde oriantur. Peracta octaua eiuſdem nullam omnino fieri permittimus.

CAPVT IV.

De reliquijs, veneratione ſanctorum, & Imaginibus.

NVllus laicus cuiuſuis etiam confraternitatis, ſiuè pij loci Rector, ſeù cuſtos ſacras Reliquias vllo modo contrectare pręſumat.

Quoties eas, vel ad altare transferri, vel populo oſtendi, vel in proceſſione deferri contigerit, id fiat ſemper à Sacerdote ſtola ac pluuiali, vel ſaltem ſuperpellicco induto.

Quamlibet expoſitionem, vel oſtenſionem Sacrarum Reliquiarum, nec non & Imaginum ad lucrum captandum penitus interdicimus.

Diebus ſolemnibus in altari exponantur: Nullo modo in menſa cum pelui eleemoſinam colligendi gratia, ſub pęna interdicti eiuſdem Eccleſię eo ipſo incurrenda.

Nouarum Reliquiarum expoſitionem in quacumque Eccleſia, etiam Regularium, vel Oratorio priuato omnino prohibemus, niſi prius fuerint à Nobis approbatæ.

Agnus Dei cerę albę à SS.Pontificibus conſecrati, iuxta decretum Sacrę Rituum Congregationis nunquam pingantur, minio inficiantur, vel auro notentur, nec venales exponantur.

Nulla quorumuis hominum effigies cum radijs, vel aureolis depingatur, nec ad eorum ſepulcra appendantur tabellę, vel lampades accendantur donec à S.Sede Apoſtolica in SS. Albo fuerint deſcripti.

Numquam celebrentur officia ſeù miſſæ de Sanctis, quorum reliquiæ in aliqua Eccleſia conſeruantur, niſi præcedente noſtra in ſcriptis licentia.

Sine eadem noſtra licentia nolumus circumferri ſacras imagines, vel icones ad queſtum faciendum, vel lucrum captandum.

In Eccleſijs etiam quomodolibet exemptis nulla inſolita imago exponatur ex præſcripto Sacri Tridentini Concilij ſeſs. 25. de Sacris Imaginibus, niſi à Nobis recognita.

Si-

Signum Sanctiſſimæ Crucis nullo in loco pingatur, vel ſculpatur, in quò pedibus conteri poſſit, nec in alijs locis ſordidis, & contemptibilibus. Idipſum de quauis ſacra imagine ſeruetur.

CAPVT V.

De miraculis.

NOua miracula nullo pacto admittantur, niſi à Nobis recognita; nec Parochi illa publicent, nec ab alijs publicari permittant, & ſi pro certis miraculis à vulgo habeantur, populi concurſum prohibeant, nec vota cerea, argentea, nec alia qualiacumqne oblata recipiant, vel permittant ſub pęna ſuſpenſionis eorundem, ac interdicti loci, vbi id contigerit. Si autem populorum frequentiam impedire nequiuerint, Eccleſiam claudant, ac ſtatim Nos admoneant.

CAPVT VI.

De Blaſphemia.

COnſtitutionem Beatiſſimi Pij V. contra blaſphemos omnimodo obſeruandam præcipimus, eamque Parochi omnes bis in anno, ſcilicet die Circonciſionis, & Dominica in albis vulgari idioma-

idiomate publicare teneantur, ſub pæna duorum aureorum.

Aliam quoque conſtitutionem ad medicos ſpectantem in prima dominica Aduentus, & prima quadrageſimę enunciabunt.

CAPVT VII.

De hæreticis.

SEdulo animaduertant Parochi, nè ex conſortio, vel colloquio Hæreticorum illibata Catholicę fidei puritas contaminetur.

Inuigilent ſuper ſuſpectos, veluti eos, qui diuinationibus, & cuiuſuis generis incantationibus, Sortilegijs, Magiæ, Necromantiæ, Aſtrologiæ Iudiciariæ, & ſimilibus operam dederint, illoſque Nobis, vel Sancto officio denuncient.

Hæreticos in patrinos baptiſmatis, vel confirmationis aſſumere ſub pęna noſtro arbitrio iniungenda omnino prohibemus.

CAPVT VIII.

De veneficijs, & magicis artibus.

VEnefici, Malefici, Magi, Incantatores, Sortilegi, Diuinatores, & huiuſmodi ex bullis Xiſti V. & Vrbani VIII. diabolicum ſcelus exercentes debent denunciari Nobis, vel Sancto Officio: Ideoque Parochi, & Concionatores tenentur de hoc populos admonere.

PARS TERTIA.

De perſonis exhibentibus cultum, & locis, in quibus exhibetur.

CAPVT I.

De Vicarijs foraneis.

POſt caſuum conſcientiæ diſcuſſionem ſingulis menſibus faciendam, Parochi eiuſdem Vicariatus conferant inter ſe, quæ ad boni Paſtoris officium pertinent, præſertim ad curam animarum, ac doctrinæ Chriſtianæ exercitium. Qui non interfuerit, mulctetur pęna vnius ſcuti argentei coronæ, ſingulis vicibus applicandi ſocietati eiuſdem doctri-

næ. Horum omnium Vicarij foranei notitiam ad Nos deferant poſt finem Congregationis.

In criminalibus attentè inuigilent, ne cauſæ diutius differantur, proceſſus citiſſimè ſtruantur, eoſdemq; ad Nos, ſeù Vicarium noſtrum generalem tranſmittant. Quò in munere, ſi neglexerint, punientur etiam pęna priuationis officij.

Antè ſacras ordinationes, ad Nos perferendas curabunt ſecretas informationes promouendorum in ſuo Vicariatu degentium de vita, & moribus.

Idem volumus de Confeſſarijs renuentibus Doctrinę Chriſtianæ operam dare, quibus non confirmabuntur litterę patentes ad confeſſiones audiendas; Nec ad examen earundem confeſſionum admittentur Sacerdotes reliqui ſine atteſtatione Vicarij foranei iurata ſupra prędictis.

CAPVT II.

De Parochis.

OMnes Parochi, tam Vrbani, quam Dięceſani feſtis de pręcepto in Eccleſijs ſuis veſperas decantent, & in Parochiali miſſa vigilias, ac ieiunia, nec non dies feſtiuos in hebdomada occurrentes populo denuncient.

Ter in die, manè, meridiè, & veſpere pulſari faciant campanam pro Beatiſſima Virgine ſalutanda.

Parochi, qui conuiuunt in ędibus canonicalibus cum conſanguineis, vel affinibus nullo modo permittant in eiſdem ędibus cauponam, vel ſordidum aliud miniſterium exerceri, ſub pęna duorum aureorum ſingulis vicibus parochiali Eccleſiæ applicandorum.

Non detineant populum in Eccleſia occaſione concionum; ſtationum, indulgentiarum, expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti, vel cuiuſuis alterius pij exercitij titulo vltra ſolis occaſum, poſt quem ianuę claudantur, nec aperiantur ante auroram.

Non permittant in cęmeterijs iumentorum ſtabula, vel aliorum immundorum animalium.

Sciant Parochi non poſſe ſuis parochianis darę licentiam ſatisfaciendi annuæ communionis pręcepto extra propriam parochialem Eccleſiam in alia Eccleſia, vel Capella, etiam ſitis intra confinia parochiæ.

Synodus Prouincialis ſub titulo de Parocho, & eius Officio præcipit, vt parochus ruralis conferens ſe in Ciuitatem, ſi contingat ibi morari vltrà diem, adeat Ordinarium; quod idem faciat quotidie, ne dolosè abſit à ſua Eccleſia, & hoc diſtrictè mandamus obſeruari; immo nec pernoctare audeant extrà fines ſuæ Parochiæ ſine licentia Vicarij foranei.

Benedictio candelarum in die Purificationis B. Virginis, ſacrorum Cinerum, & Palmarum fiat à ſolis Parochis.

D 2 Nullus

Nullus Sacerdos ſęcularis, in quibuſuis proceſſionibus pręſumat deferre reliquias, vel eas comitari cum ſtola, vel ſine, niſi de noſtra licentia ſub pęna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, ac Nobis reſeruata.

CAPVT III.

De vita, & honeſtate Clericorum.

NOn incedant Clerici abſque tonſura, habitu clericali, & talaribus veſtibus iuxta noſtrum Edictum ſuperius enunciatum, & infrà deſcribendum.

Comam non nutriant Clerici, nec Sacerdotes altari inſeruientes.

Parochi, etiam Prothonotarij non vtantur Rocheto, non ſolum in functionibus proprię Eccleſię, ſed nec extra in proceſſionibus.

Nullus clericorum arma ferat, cauponas frequentet, choreas ducat, nec ludat ludis prohibitis, imo in publico, nec pila maiori, vel minori.

Non incedant perſonati, non conueniant ad publica ſpectacula, & comędias; ſiue ad cantandum, ſiuè ad inſtrumenta pulſanda; multo minus ad prædicta operam ſuam locent.

Non inſeruiant laicis, neque domi, neque extrà vlla in re, quę clericalem ordinem dehoneſtet.

Non retineant domi mulieres ſuſpectas; ſi ſoli ſint, & habeant famulas, hę quadrageſimum ſaltem quintum annum attingant.

Canonicales Ædes ne locent laicis abſque noſtra licentia.

Qui impoſterum ad minores ordines promoueri petierint, niſi Nobis præbuerint ſpem ſuo tempore ſe ad maiores aſcenſuros, ſciant à Nobis non ordinandos iuxta Concilium Tridentinum.

Annuli vſum in miſſa nulli Epiſcopo inferiori permiſſum, & ex pluribus Sacrę Rituum Congregationis decretis, etiam Prothonotarijs Apoſtolicis non participantibus, atque etiam cathedralium Canonicis, & dignitatibus prohibitum, ſub pæna Nobis arbitraria penitus interdicimus.

C A P V T IV.

De Regularibus, & exemptis.

ANtè prædicationis munus, aduentus, vel quadrageſimę tempore omnes profeſſionem fidei emittant coram Nobis, vel Vicario noſtro generali.

Campanas in Sabbato Sancto antè Eccleſiam matricem nè pulſent.

Feria quinta in cęna Domini Euchariſtiam, pro

vt

vt rubrica decernit, in calice, non in oſtenſorio ſeruent.

Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum exponere prohibemus, & de noſtra licentia nonniſi ad formam edicti enunciati.

Confeſſiones non audiant, niſi à Nobis approbati, & hi extrà propriam, niſi de licentia ſuperioris illius Eccleſię, in qua confeſſiones excipiunt.

Monialium confeſſiones, nec etiam venialium peccatorum audire præſumant iuxta decretum Sanctiſsimi D. N. Papę Innocentij Vndecimi ſupracitatum.

A reſeruatis non abſoluant, niſi à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali facultate obtenta.

In Eccleſijs ſuorum ordinum concionaturi benedictionem à Nobis accipiant.

Accedant ad proceſſiones vocati in Metropolitanam, vel parochialem procedendo reſpectiuè, nec contendant de pręcedentia, ſed recurſum ad Nos habeant.

Ordinandi habeant documentum ſuorum ſuperiorum, & quod ſpiritualibus exercitijs vacauerint.

Ad leuandum de ſacro fonte regulares nullatenus accedant.

CAPVT V.

De Monialibus.

PRo celebratione cuiuſcumque contractus, prius Superioriſſa proponente, pertractetur materia in conſilio diſcretarum: Quo approbato, conuocetur inde capitulum, in quo interſint ad minus duę tertię partes monialium, & approbationes fiant iuxta conſtitutiones cuiuſcumque Monaſterij.

Non permittitur monialibus, vt introducant in clauſuram infantes, tam mares, quam fęminas ante ſeptimum annum etiam per rotam.

Nec permittitur ingreſſus in clauſuram viris, vel fæminis ad aptandas, & induendas puellas, quæ in monaſterio educantur: neque pictori vt intra clauſuram efformiet imaginem, vulgo ritratto puellæ in monaſterio exiſtentis.

Prohibetur acceſſus Magiſtris Grammaticę, vel alterius facultatis, vt has moniales, vel puellas edoceant ad crates, ſimiliter & muſicis ad muſicam edocendum.

Operarij cuiuſcumque artis, vel profeſſionis nullo vnquam tempore ſoli, vel cum vna tantum moniali relinquantur, ſic etiam Confeſſarij, Medici, & Chirurgi, & hi, qui non attigerint trigeſimumquintum annum nullatenus introducantur.

Moniales adminiſtrantes bona Monaſterij ſingu-

lis annis rationem reddant accepti, & expenſi.

Puellæ non induant habitum Monialium, niſi poſt xv. annum expletum ad formam litterarum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub die 19. Auguſti 1679. infrà ponendarum.

Educandæ, ſi ſponſalia contraxerint, vel à Monaſterio ſtatim exeant, vel ſponſi ad hoc nullo modo accedant.

Nulla monialium accipiat ad cambium, vel cenſum cum ſolutione intereſſe.

Diligenter aduertant moniales,nè violent votum paupertatis elargiendo extrà monaſterium eiuſdem bona frequenti abuſu, etiam inſeruientibus, onerantes ſuper hoc conſcientiam Præfectarum.

Superioriſſa ſingulo menſe congreget Diſcretas pro rebus conſultandis ad monaſterium ſpectantibus.

Confeſſarij monialium Regularibus ſubiectarum, tam ordinarij, quam extraordinarij approbentur à Nobis. Approbatus pro vno monaſterio non intelligatur approbatus pro alio; nec extraordinarius pro vna vice putetur approbatus pro alia.

In electione Superioriſſæ, ac quibuſcumque actis capitularibus ſeruetur omnimodè ſecretum, & vnaquæque monialis, etiam infirma, propria manu ſuffragium ponat in vrnam.

CAPVT VI.

De queſtoribus.

IVxtà præſcriptum Sacri Tridentini Concilij ſeſs. 21. cap. 9. queſtuarios omnes prohibemus, exceptis regularibus mendicantibus, qui tamen in locis, vbi non habent monaſterium, teneantur oſtendere licentiam noſtram Vicarijs foraneis: Vbi vero Monaſterium habent, ſuorum licentiam ſuperiorum.

CAPVT VII.

De fabricis Eccleſiarum.

NVlla Eccleſia, nullumque altare de nouo erigantur ſine noſtra licentia, & ea obtenta, ſine dote competente nullatenus conſtruantur.

Altaria iam erecta, & quæ ſunt de iurepatronatus, ſi dote & ornatu careant, Parochi, vel quicumque Eccleſiarum Rectores admoneant Dominos, qui niſi prouiderint intra bimeſtre, ſciant pœnas à iure preſcriptas ſe incurſuros.

CAPVT VIII.

De Archiuio.

TAm in Eccleſia Metropolitana, quam in quibuſcumque alijs Parochialibus cuſtodiatur Archiuium, & claues ſtent penes Parochum.

Vbi Archiuium non eſt, omnino conſtruatur, & in eo reponantur, & diligenter conſeruentur libri, & ſcripturæ ad eandem Eccleſiam pertinentes ſub pœna arbitrio noſtro taxanda.

CAPVT IX.

De bonis Eccleſiaſticis.

BOnorum Eccleſiaſticorum cuiuslibet Eccleſiæ Cathedralis, collegiatarum, Parochialium, ac beneficiorum ſimplicium inuentaria conficienda precipimus.

Fiat quoque Cathalogus terraticorum, in quo deſcribantur ſingula bona, tam emphiteutica, quam libera, & redditus eorundem vna cum notitia Notarij, in cuius actis confecta ſunt inſtrumenta, & intra ſex menſes ad Nos deferatur ſub pæna quinque aureorum, & cuſtodiatur in Archiuio Archiepiſcopali.

Ad idem erunt deferenda inuentaria bonorum mobi-

mobilium cuiuslibet Eccleſiæ Parochialis, cæterorumque Beneficiorum intra idem tempus ſub eadem pæna.

CAPVT X.

De Beneficijs eorumque collatione.

QVi de aliquo beneficio prouideri optabunt, caueant, nè ſuo nomine interponantur officia, aliter inhabiles omnino reddentur ad idem Beneficium, & ad alia impoſterum conſequenda.

In permutatione beneficij ſimplicis cum alio ſimplici, ſeù curato, inquiratur de ſubſiſtentia, & redditu eorundem per teſtes, & æſtimatores publicos medio iuramento.

CAPVT XI.

De exequijs.

EA attentione, & pietate, qua decet, & præcipit Eccleſia, fiant exequiæ mortuorum.

In funeribus, tam circa precedentiam, quam circa eleemoſinas ſeruetur conſuetudo cuiuslibet loci.

Oſtium ſepulturæ non ſit ſub altári, nec ſub gradibus eiuſdem, & ſi quæ ſunt ſepulcra tollantur.

Cada-

Cadauera ſub quouis prætextu, ſeù titulo ſine noſtra peculiari licentia nullo tempore exhumentur.

Pauperum cadauera gratis ſepulturæ demandentur. Nulli ſepeliantur antè ſolis ortum, nec poſt occaſum, & nonniſi ab obitu vigeſimà quartà horà elapsà: Rectà ad Eccleſiam, in qua cadauer ſepeliendum fuerit, deferatur.

CAPVT XII.

De pœnis.

Conſtitutiones noſtras Synodales à dilectiſſimo Clero, & populo nullo pænarum metu, ſolo virtutis amore obſeruandas confidimus.

Si qui tamen contumaces, quod non credimus, non eis obſequenter paruerint, elapſo bimeſtri, à quo fuerint ſufficienter publicatæ, ſciant ſe pæcuniarum, exilij, aliarumque pænarum arbitrio noſtro mulctam non euaſuros. Confirmantes, & omninò ſeruari mandantes hac in parte, & in reliquis omnibus, quæ Synodalibus noſtris ſanctionibus non aduerſantur, Synodum Eminent. Cardinalis Duratij pijſſimæ recordationis.

Publicatis decretis ſupraſcriptis porrectæ fuerunt Illuſtriſs., ac Reuerendiſs. Archiepiſcopo per Procuratorem Cleri petitiones ſequentes, queis reſponſum fuit, vt infra.

1. Regulares intendunt poſſe audire confeſſiones ſæcularium non ægrotantium extrà ſuas Eccleſias, & in eorum domibus. Supplicatur pro remedio. Reſpondetur non licere quoad mulieres.

2. Si contingat mori aliquem ciuium extrà vrbem ruri, vel alibi, quod totum funus ſpectet ad Parochum Parochiæ, in qua decedit iuxta poſſeſſionem cuiuſcumque Parochiæ forenſis.
R. Seruetur conſuetudo.

3. Quod maſſarij, & alij adminiſtratores Eccleſiarum, Oratoriorum, & aliorum locorum piorum teneantur ſe conformare in omnibus ad formam vltimæ Synodi Diæceſanæ Eminent. Duratij.
R. Seruandam eſſe.

4. Quod Parochus in omnibus, & ſingulis funeribus ſit ſupernumerarius, quoties ad illud funus vocantur alij Sacerdotes, & in reliquis de funeribus obſeruetur Synodus prędicta Eminent. Cardinalis.
R. Sic ſtatuimus.

5. Quod Capellani inſeruientes oratorijs publicis nullo modo poſſint intereſſe proceſſionibus, ſeù alijs functionibus faciendis, etiam in ipſis Oratorijs cum cotta, & ſtola. R. Le-

R. Lectum.

6. In excommunicatione circa ſponſos habentes copulam antè matrimonium, quòd reſeruata ſit tantum quoad ſponſum.

R. Affirmatiuè.

7. Quod Sacerdotes forenſes poſſint celebrare cum habitu ad medias ſuras.

R. Permiſſum in villis, & alijs locis non muratis.

8. Quod tota Eccleſiæ ſupellex debeat ſemper ſtare penès Parochum iuxta vniuſcuiuſque Parochiæ conſuetudinem.

R. Cuſtodiatur à Parocho ſolo, vel à Parocho cum maſſarijs, vbi eſt conſuetudo.

9. Quod liceat Parochis in neceſſitate deferri facere Sanctiſsimum Viaticum infirmis per Sacerdotem, etiam non confeſſarium, grauando Parochorum conſcientias, ne hoc vtantur, niſi in caſu neceſſitatis.

R. Moderamur, dummodo ſit in caſu neceſſitatis tantum, vel penuriæ confeſſariorum.

10. Quod maſſarij Eccleſiarum Parochialium, & omnes alij officiales piorum locorum non eligantur, niſi de conſenſu Parochi, & aliter electi nullo modo admittantur à Parochis.

R. Maſſarij, ſiue officiales Eccleſiarum Parochialium de conſenſu, & aſſiſtentia Parochi: Cæterorum vero piorum locorum eligantur iuxta conſuetudinem.

11. Quod

11. Quod in reliquis ſeruetur Synodus Diœceſana condita ab Eminent. Cardinali Duratio.

R. Iam prouiſum in Synodo.

1683. Die quarta Maij.

Miniſtrorum Synodalium electorum, & conſtitutorum ab Illuſt., & Reuerend. Domino F. Iulio Vincentio Gentili Archiepiſcopo Ianu. pro Synodo cepta die ſexta Maij 1683., & octaua eiuſdem menſis abſoluta munera, & nomina.

Promotor Vrbanus.

ADmod. R. D. Ioannes Benedictus Caſtagnola Canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ Ianuen.

Promotor Foraneus.

Admod. R. Iacobus Philippus Brignardelli Archipresbiter Lauaniæ.

Secretarius.

Admod. R. Ioſeph Daneſius Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Vinearum.

Subſecretarius.

Admod. R. Angelus Franciſcus Petrarugia.

Iudices in cauſis grauioribus.

Perillu., & admod. R. D. Carolus Nucetus Archipresbiter Eccleſiæ Metropolitanę Ianuen.

Perillu., & admod. R. D. Petrus Hieronymus Tiſcornia Canonicus dictæ Eccleſiæ.

Perillu., & admod. R. D. Dominicus Saporitus Canonicus eiuſdem Eccleſiæ.

Admod. R. Paulus Maria Oppeccinus Archipresbiter Portusveneris.

Admod. R. Hieronymus Merellus Archipresbiter Rapalli.

Iudices querelarum.

Perillu., & admod. R. D. Aurelius Pallauicinus Canonicus Eccleſiæ Metropolitanę Ianuen.

Admod. R. D. Ioannes Antonius Mariconus Canonicus Collegiatæ Vinearum.

Admod. R. Ioannes Baptiſta Marinus Archipresbiter Framuræ.

Admod. R. Ioannes Antonius Pizzurnus Archipresbiter Sanctę Mariæ Plebis Vulturi.

Admod. R. Iulianus Bertolottus Archipresbiter Eccleſiæ Sancti Cypriani Pulciferæ.

Admod. R. Ioannes Paulus Mereſa Præpoſitus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Tramontana.

Admod. R. Ioannes Baptiſta Borlaſca Rector Sancti Petri de Capriata.

Protectores Hoſpitum.

Perillu., & admod. R. D. Ioannes Iacobus Porrata Præpoſitus Eccleſiæ Metropolitanę Ianuen.

Perillu., & admod. R. D. Petrus Ioannes Rauaria Archidiaconus dictę Eccleſiæ.

Perillu., & admod. R. D. Dominicus Saporitus Canonicus eiuſdem Eccleſiæ.

Perillu., & admod. R. D. Aurelius Pallauicinus Canonicus prędictæ Eccleſię.

Præfecti Hoſpitiorum.

Admod. R. D. Stephanus Praſca Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Lucæ Genuæ.

Admod. R. Antonius Maria Figarius.

Admod. R. Georgius Ottagius Archipresbiter Eccleſię Sanctæ Margaritæ.

Deputati ad recognoſcenda onera, tam miſſarum, quam anniuerſariorum in Eccleſijs Ciuitatis præfato Illuſtriſs., & Reuerendiſs. Archiepiſcopo ſubiectis.

Admod. R. D. Ioannes Iacobus Porrata Prępoſitus Cathedralis Eccleſię Ianuen.

Admod. R. D. Philippus Maria Zignagus Prępoſitus Eccleſię Sancti Donati Ianuen.

Admod. R. D. Abbas Prudentius Viganegus.

Admod. R. D. Stephanus Praſca Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Lucæ Ianuen.

Deputati ad reuiſionem Inuentariorum.

Admod. R. D. Petrus Ioannes Rauaria Archidiaconus Eccleſiæ Metropol.

Admod. R. D. Marius Mercante Canonicus dictæ Eccleſię.

Admod. R. D. Aurelius Pallauicinus Canonicus prædictæ Eccleſiæ.

Præfecti Diſciplinæ Synodalis, & Scrutinij.

Admod. R. D. Abbas Prudentius Viganegus.

Admod. R. D. Angelus Aloyſius de Iugo.

Admod. R. D. Stephanus Praſca Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Lucæ.

Admod. R. D. Ludouicus Inſula.

Admod. R. D. Angelus Maria Vallari Canonicus Eccleſię Collegiatę Sanctę Mariæ Vinearum.

Admod. R. Lazarus Ferettus Archipresbiter Sancti Syri Neruij.

Admod. R. Antonius Maria Maberinus Rector Eccleſię Sancti Ioannis Quarti.

Admod. R. Gaſpar Garibaldus Archipresbiter Sancti Ioannis Baptiſtæ Clauari.

Admod. R. Nicolaus Taliaficus Archipresbiter Ecceleſię Sexti.

Admod. R. Michael Angelus Agneſius Archipresbiter Ecceleſię SS. Nicolai, & Eraſmi Vulturi.

Admod. R. Ioannes Dominicus Bardi Rector Eccleſię Sancti Martini de Nuceto.

Punctatores.

R. R. Sebaſtianus Clappa, & Ioannes Baptiſta Bergalli Confeſſores cleri cum facultate abſoluendi à caſibus, & irregularitate, etiam præfato Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo reſeruatis durante hac Synodo, & vſque ad decimam quintam Maij incluſiuè, & pro clero in confeſſione audiendo tantum, vt quiſque redeat ad propria bene purgatus, & Deo magis coniunctus ad vtilitatem quoque populorum Diœceſis Ianuen.

*A*dmod. R. D. Calocerus Bolinus Coadiutor Domini Pęnitentiarij Eccleſię Cathedralis Ianuen.

*A*dmod. R. D. *A*bbas Ioannes Baptiſta Zeirus.

*A*dmod. RR. Iacobus Oliuarius.

Hieronymus Calogarius.

Ioannes Baptiſta Mattalana.

Manfredus Praſca.

R. Ioannes Baptiſta de Nigris Rector Eccleſiæ Rouereti.

Procurator Cleri Vrbani.

*A*dmod. R. D. Laurentius Maſſonus Coadiutor Admod. R. D. Ioannis Franciſci de Plebe Præpoſiti Sancti Petri de Bancis.

Procurator cleri forenſis.

*A*dmod. R. Ioannes Baptiſta Podius *A*rchipreſbiter Eccleſię *A*renzani.

Aeconomus pro exigendo cathedratico.

*A*dmod. R. D. Ioannes *A*ntonius Clappa Canonicus Eccleſię Ianuen.

Lectores Decretorum.

R. Simon Bohardus.

R. Thomas Rubeus.

R. Ioannes Franciſcus Martinelli.

Magiſtri Ceremoniarum Illuſtriſs., & Reuerend. Domini Archipiſcopi.

*A*dmod. *R. A*bbas Marcus *A*ntonius de Federicis.

R. Ioſeph Caſtilionus.

Magiſtri ceremoniarum pro clero, quibus omnes obediant.

*R.R. A*ntonius de Ferrarijs, & Bartholomęus Balerius.

Oſtiarij Synodi.

R. R. Camillus dę Ferrarijs, & Vincentius Durante Cuſtodes Eccleſię maiores.

Cancellarius Synodi.

D. Iacobus Leonardus Badaraccus curię *A*rchiepiſcopalis Notarius, & Cancellarius.

Exami-

Examinatorum Synodalium nomina.

Perillu., & admod. R.D.Ioannes Iacobus Porrata Præpoſitus Eccleſię Metropolitanę I.V.D.

Perillu., & admod. R.D. Petrus Ioannes Rauaria Archidiaconus dictæ Eccleſiæ S.T. Doctor.

Perillu., & admod. R.D.Carolus Nucetus Archipresbiter prædictæ Eccleſiæ I.V.D. Prothonotarius Apoſtolicus S.T. Doct.

Perillu., & admod.R.D.Ioannes Auguſtinus Ruffus Primicerius prædictæ Eccleſiæ iuris vtriuſque, & S. Theologiæ Doctor.

Perillu., & admod.R.D.Alexander Gothellus Pęnitentiarius prędictæ Eccleſię I.V., & S.Theol.Doct.

Perillu., & admod.R.D. Petrus Hieronymus Tiſcornia Canonicus eiuſdem Eccleſiæ I.V. & Sacræ Theologiæ Doctor Prothonotarius Apoſtolicus.

Admod. R. D. Iacobus Calui Prępoſitus Sanctæ Mariæ Vinearum I.V.D.Prothonotarius Apoſtol.

Admod.R.D. Philippus Maria Zignagus Præpoſitus Sancti Donati S. Theologiæ Doctor.

Admod.R.D.Ioannes Baptiſta Muſtus Prior Eccleſiæ Sancti Xiſti I.V.D. Prothonotarius Apoſtol.

Admod. R.D.Panthaleon Buglionus Rector Eccleſiæ Sanctiſſimi Saluatoris S. Theologiæ Doctor.

Admod. R. D.Ioannes Antonius Mariconus Canonicus Collegiatę Sanctę Marię Vinearum I.V.D.

Admod.

Admod. R. D. Ioannes Simon Furnus I. V. & S. Theologię Doctor, & Prothonotarius Apoſtolicus.

Admod. R. P. Andræas Merellus Ordinis Sancti Auguſtini.

Admod. R.P.Thomas Loccionus Ordinis Præd. S. Theologiæ Magiſter.

Admod. R. P. Iacobus Maria Finochettus Ord. Præd. S. Theologiæ Magiſter.

Admod. R. P.Ioſeph Inſula Ord. Min. Conuentualium Sancti Franciſci S. Theol. Magiſter.

Admod. R. P. Ioannes Baptiſta à Monelia Ord. S. Franciſci Reformatorum Sacræ Theologię Profeſſor.

Admod. R.P.Ioannes Baptiſta Speronus Carmelitarum Diſcalceatorum.

Admod. R. P. Andręas Lomellinus Ord. Clericorum Teatinorum Præpoſitus Sancti Syri.

Admod. R.P.Franciſcus Maria Sauli Ven. Societatis Ieſu Prępoſitus domus Profeſſæ Genuæ.

Admod. R. P. Franciſcus Maria Cattaneus eiuſdem Societatis.

Admod. R. P. Romulus Marchelli Ord. Barnabitarum.

Admod.R.P.Ioannes Carolus Pallauicinus Congregationis Somaſchę.

Admod. R. P. Carolus Maria Lomellinus Clericus Regularis.

Perillu., & admod. R.D.Ioannes Iacobus Porrata Prępoſitus Eccleſię Metropolitanę I.V.D.

Perillu., & admod. R.D.Petrus Ioannes Rauaria Archidiaconus eiuſdem Eccleſię S.Theol. Doctor.

Perillu.,& admod.R.D.Dominicus Milanta Magiſcola dictę Eccleſię I.V.D. Proth. Apoſt.

Perillu.,& admod.R.D. Carolus Nucetus Archipresbiter eiuſdem Eccleſię Metropolitanę I.V.D.,& Prothonotarius Apoſtolicus S.T. Doctor.

Perillu.,& admod.R.D.Ioannes Auguſtinus Ruffus Primicerius prędictę Eccleſię I.V.,&S.Th.Doct.

Perillu., & admod. R.D.Petrus Hieronymus Tiſcornia Canonicus eiuſdem Eccleſię I.V.& S.Theologiæ Doctor Prothonotarius Apoſtolicus.

Perillu., & admod.R.D. Alexander Gothelli Pęnitentiarius dictę Eccl. iuris vtriuſq; & S.Th.Doct.

Perillu., & admod.R.D.Marcus Antonius Marrana Canonicus dictę Eccleſię I.V., & S. Th. Doct.

Perillu.,& admod.R.D.Aurelius Pallauicinus Canunicus prędictę Eccleſię I.V.D. & Proth.Apoſtol.

Admod. R.D. Iacobus Calui Prępoſitus Sanctę Marię Vinearum I.V.D.& Prothonotarius Apoſt.

Admod. R. D. Ioannes Baptiſta Muſtus Prior Sancti Xiſti I.V.D. & Prothonotarius Apoſtolicus.

Admod. R.D.Ioannes Antonius Mariconus Canonicus Collegiatę Sanctę Marię Vinearum I.V.D.

Admod. R. D. Ioannes Franciſcus Dulcinus Archipresbiter Sancti Martini loci Sancti Petri Arenę I. V. D., & Prothonotarius Apoſtolicus.

Admod. R. D. Franciſcus Carbonara Abbas Sancti Bartholomęi de Foſſato I. V. D.

Admod. R. D. Ioannes Baptiſta Zeicus Abbas I. V. D. & Prothonotarius Apoſtolicus.

Admod. R. D. Ioannes Simon Farinus I. V. & S. Theologię Doctor.

Admod. R. D. Petrus Maria Parmeggiani I. V. D. & Prothonotarius Apoſtolicus.

Admod. R. D. Ioannes Baptiſta Quartarius I. V. D.

Examinatores confeſſariorum, & ordinandorum.

Perillu. & admod. Reu. D. Dominicus Saporitus Canonicus Eccleſię Metropolitanę I. V. D.

Perillu., & admod. R. D. Marcus Antonius Marrana Canonicus eiuſdem Eccleſię I. V., & S. T. Doct.

Perillu., & admod. R. D. Callocerus Bolinus Coadiutor Pęnitentiarij dictę Eccleſię S. T. D.

Perillu., & admod. R. D. Cęſar Rauenna Canonicus Theologus dictę Eccleſię S. Theol. Doctor.

Admod. RR. DD. Angelus Maria Caſtagnola Prior Eccleſię Sanctę Sabinę Genuę I. V. D.

Ioannes Franciſcus Dulcinus Archipresbiter Sancti Martini de Sancto Petro de Arena I. V. D. Prothonotarius Apoſtolicus.

Io-

Ioſeph Daneſius Canonicus Eccleſiæ S. Mariæ Vinearum.

Antonius Terraroſſa S. T. Doctor.

Ioannes Antonius Quaquarus S.T. Profeſſor.

R. P. Hieronymus Maria de S. Silueſtro Prior Monaſterij Sanctæ Annę Ord. Carm. Excalceatorum.

R. P. Carolus Curlus Ord. Prędic.

R. P. Hippolitus de Turri eiuſdem Ordinis.

R. P. Franciſcus Maria Tagliaferrus de Monelia Ordinis Min. Sancti Franciſci.

R. P. Thomas Granellus Ord. Minorum Sancti Franciſci.

R. P. Ioſeph Maria della Valle Regens Beatę Marię Seruorum.

R. P. Angelus Maria Aproſius Clericorum Regularium Teatinorum.

R. P. Antonius Maria Patù dicti Ordinis.

R. P. Nicolaus Gentilis Ieſu Ven. Societatis.

R. P. Aloyſius Spinula eiuſdem Societ.

R. P. Michael Iuſtinianus eiuſdem.

R. P. Vincentius Maria Duratius Ord. Cler. Regularium Teatinorum.

R. P. Maſſimilianus Deſſa Congregationis Matris Dei.

R. P. Petrus Dominicus de Pier Dominicis Congregationis Oratorij Sancti Philippi Nerij.

R. P. Ioſeph Cereſola eiuſdem Congregationis.

R. P. Albertus Bottus Carmelita.

R. P. Ambroſius Spinula Barnabita.

R. P. Paris Maria Fotia Congregationis Somaſchę.

Deputati pro recognoſcendis requiſitis ordinandorum.

Admod. R. D. Calocerus Bolinus Coadiutor Domini Pęnitentiarij Eccleſiæ maioris S.T.Doctor.

Admod. R. D. Marcus Antonius Marrana Canonicus Eccleſię prædictę S.T.Doctor.

Admod. R.D. Antonius Terraroſſa S. T.Doctor.

Formula profeſſionis fidei emittendæ.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quę continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terrę, viſibilium omnium, & inuiſibilium; & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum; & ex Patre natum antè omnia ſęcula; Deum de Deo, lumen, de lumine, Deum verum, de Deo vero: genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cęlis. Et incarnatus eſt de Spiritus San-

cto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurexit tertia die ſecundum Scripturas; & aſcendit in cęlum ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis; Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit: qui cum Patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui loquutus eſt per Prophetas: Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum; & expecto reſurrectionem mortuorum; & vitam venturi ſęculi Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſsimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt interpretari de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto, nec eam vnquam niſi iuxtà vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouę legis, à Ieſu Chriſto D.N. inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia, ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pęnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirma-

tionem,

tionem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterati non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſię catholicę ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quę de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio: Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis; atque in Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento eſſe verè, & realiter, & ſubſtantialiter corpus, & Sanguinem vna cum anima, & diuinitate D. N. Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantię panis in corpus, & totius ſubſtantię vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat: Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari, ſimiliter & ſanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparę ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam: Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictā fuiſſe, illarumque

vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, catholicam, & apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro: Cętera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis concilijs, ac pręcipuè in Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia atque hęreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extrà quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo adiuuante; retinere, confiteri, atque à meis ſubditis, vel ab illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. Spondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Edictum

Edictum circa expoſitionem Sanctiſs. Euchariſtiæ.

Parte, & mandato Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D. Iulij Vincentij Gentilis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Ianuenſis, & Aſſiſtentis Sanctiſsimi D. N. Papæ.

PEr præſens publicum edictum valuis Eccleſiæ maioris, & Palatij Archiepiſcopalis affigendum, & in Eccleſijs totius Diœceſis publicandum, vt moris eſt, notificatur, & intimatur omnibus, & quibuſcumque, tàm ſæcularibus, quàm Regularibus, qualiter auctoritate noſtra, qua fungimur, inherendo etiam Sacræ Congregationis decretis de hac materia diſponentibus, prohibemus, prohibitumque eſſe volumus, & decernimus, nè quis quouis quæſito titulo, ſeù colore de cætero audeat in Eccleſijs, tàm ſæcularium, quàm regularium, capellis, oratorijs, vel alijs quibuſuis locis exponere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſine expreſſa noſtra licentia ſub pęna nobis arbitraria contrafacientibus infligenda; reuocantes ad cautelam, & quatenus opus ſit, pro vt vigore præſentium reuocamus omnes, & quaſcumque licentias à Nobis, vel Vicario noſtro, ac etiam à prędeceſſoribus noſtris hactenus conceſ-

ſas,

ſas, excluſis tantummodo à preſenti prohibitione ſolita expoſitione, vocata quadraginta horarum, fieri conſueta in Eccleſijs Ciuitatis, iuxta catalogum de mandato noſtro typis tradendum, die cum tota octaua Corporis Chriſti, & Dominica tertia cuiuslibet menſis in Eccleſijs Parrochialibus. Precipimus inſuper dictas expoſitiones fieri non poſſe, niſi ſaltem candelis viginti accenſis, & cum aſſiſtentia duorum Sacerdotum, vel ſaltem vnius, cum alba, & ſtola, durante dictę expoſitionis tempore; nec benedictio impertiatur Sanctiſſimi, niſi in fine quadraginta horarum. Dat. Genuæ in Palatio Archiepiſcopali anno 1682. die 30. Decembris.

Editto in ordine all'habito talare.

F. Giulio Vincenzo Gentile per la gratia di Dio Arciueſcouo di Genoua, & aſſiſtente de noſtro Signor Papa.

ESſendo peruenuto à noſtra notitia, non ſenza graue noſtro rammarico, che alcuni Sacerdoti ſcordeuoli non ſolo dell'obligo, che à tutti li conſtituiti in ſacris vien impoſto dal concilio di Trento ſeſſione 14. cap. 6. e dalla conſtitutione di Siſto Quinto 1589. e da replicati ordini da Noi vſciti in

conformità dell'vltima Sinodo Diocesana, che tutti li ſudetti portino habito condecente allo ſtato loro reſpettiuamente, mà di più che talvni ſi faccino lecito di accoſtarſi a' ſacri altari, ed iui celebrare la ſanta Meſſa in habito indecente, e poco differente dal laicale in graue ſcandalo di chi gli oſſerua; Noi per rimediare à sì grani diſordine inhibiamo ſtrettamente ſotto pena della ſoſpenſione à Diuinis, ipſo facto, incurrenda à ciaſcun Sacerdote di qualſiuoglia conditione, grado, ò dignità, che ſia, di celebrare la ſanta Meſſa ſotto qualſiuoglia preteſto, colore, ò titolo, in altro habito, che in veſte, almeno talare intiera, e non ſpezzata, ò rimediata con grembiali; Volendo anco abolire omninamente così abomineuole inuentione à queſt'effetto incarichiamo la conſcienza de Parochi, Rettori, Sacriſtani, Capellani, ed ogni altri deputati al ſeruitio di qualſiſia Chieſa, e ſotto l'iſteſſa pena di ſoſpenſione à Diuinis dà incorrerſi ipſo facto gli ordiniamo non permettere, che nelle loro Chieſe, od Oratorij reſpettiuamente, comprendendoui anco le Chieſe delle Monache, e de Conſeruatorij, sì celebri da alcun Sacerdote la Meſſa con veſte differente dalla talare ſudetta: Eſortiamo parimente tutti li capi delle Religioni, Compagnie, ò Congregationi à concorrere nell'iſteſſi ſentimenti, con non ammetter nelle Chieſe loro vn tal abuſo, che ridonda in poco decoro delle Chieſe iſteſſe, ed à Noi recareb-

 be

be diſguſto non ordinario. Intendiamo che ſia affiſſa il preſente alle porte del Palazzo Archiepiſcopale, e della noſtra Chieſa Metropolitana in forma di editto publico, acciò niuno poſſa pretenderne ignoranza. Dat. in Genoua nel Palazzo Archiepiſcopale li 27. Ottobre 1682.

Decretum circa communionem quotidianam.

CVm ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio peruenerit in quibuſdam Diæceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in feria ſexta Paraſceue, & ſimul affirmari eandem quotidianam communionem præceptam eſſe à iure Diuino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleuiſſe; Videlicet quod aliqui non in Eccleſia, ſed in priuatis oratorijs, & domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes vlla grauis infirmitatis nota, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecreto illis deferunt Sacerdotes ſeculares, aut Regulares; alijque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario; Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio præuia matura

diſcuſſione ſuper prædictis vnanimi ſententia ita cenſuit: Et ſi frequens, quotidianuſue Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia approbatus, numquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicauit, cum inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, vt in ſingulis miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent*; Idque non immerito: Multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia Spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona paruulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certè de cuiuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui; Et propterea, quod ad negotiatores ipſos attinet frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium iudicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentię fructu, & ad pietatem proceſſu, laicis negotiatoribus, & coniugatis, quod perſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis pręſcribere debebunt; In coniugatis autem hoc amplius animaduertent, cum B. Apoſtolus nolit eos inuicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad

tempus, vt vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tanto magis, ob Sacratiſſimę Euchariſtiæ reuerentiam continentię vacandum, puriorique mente ad Cæleſtium epularum Communionem eſſe conueniendum.

In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacrę Communionis ſumptione vnica pręcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeù confeſſarios ſibi decernendum putet, illudque omnino prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio, ſeù frequenter, ſeù quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam vt vnuſquiſque dignè pro deuotionis, & pręparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis ſuauitatem deguſtet. Itidem moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendę erunt, vt in diebus ex earum Ordinis inſtituto pręſtitutis communicent; Si quę verò puritate mentis eniteant, & feruore ſpiritus ita incaluerint, vt dignę frequentiori, ad quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à ſuperioribus permittatur. Proderit etiam, pręter Parochorum, & confeſſariorum diligentiam, opera quoque concionatorum vti, & cum eis conſtitutum haberi, vt cum fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magna ad il-

lud

lud ſumendum pręparatione orationem habeant; generatimque oſtendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem deuoto ſtudio excitantur, debere, ſiuè laici negotiatores ſint, ſiue coniugati, ſiuè quicumque alij, ſuam agnoſcere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac Diuini iudicij formidine diſcant cęleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, reuereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad maiorem pręparationem accingere. Epiſcopi autem in quorum Dięceſibus viget huiuſmodi deuotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur, quod abundè continget, ſi ij, qui deuoto huiuſmodi ſtudio, Diuina pręſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo pane frequentius refici cupiunt ſuas vires expendere, ſeque probare, cum timore, & charitate aſſueuerint: quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in cæleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, vt ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu

con-

confeſſarij redarguant aſſerentes communionem quotidianam eſſe de iure Diuino, doceant in Eccleſijs, ſeù Oratorijs priuatis ex diſpenſatione, ſeù priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam vllo modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prędicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publicè, & cum pompa iuxta formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, vt circa Communionem in feria ſexta Paraſceue, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ vſus ſeruentur; Inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeù particulas, neque grandiores, ſed conſuetas; non permittant, vt venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut ordinario. Si Parochi, & confeſſarij, etiam Regulares, aut quicumque alij Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum iuſtam, ac rigoroſam animaduerſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Ieſu, facultate ipſis Epiſcopis, & ordinarijs per hoc decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa, & facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione Sanctitas Sua approbauit, ac præſens decretum typis dari, ac publicari

blicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ 12. Februarij 1679. F. Card. Columna Pręf.S.Archiep. Brancaccius Epiſcopus Viterbien.Secr.

Die 15. menſis Februarij 1679. ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem ad valuas curiæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per me Aegidium Fęlicem S.S.D.N. PP. Curſorem. Pro D. Magiſtro Curſorum Gregorius Staggius Apoſtolicus Curſor. Romę ex Typographia Reuerendę Camerę Apoſtolicę M DC LXXIX.

Lettera della Sacra Congregatione intorno à gli eſercitij ſpirituali dà farſi dà gli ordinandi, e dalle zittelle monacande diretta all'Illuſtriſs. Sig. Arciueſcouo di Genoua.

A Tergo. All'Illuſtriſs., e Reuerendiſs. Monſig. come fratello l'Arciueſcouo di Genoua.

Intus verò. Illuſtre,e Reuerendiſs. Monſig.come fratello. La Santità di noſtro Signore, che con paterna ſollicitudine riflette del continuo à tutti quei mezzi, che poſſono contribuire alla maggior ſicurezza della ſalute dell'anime, conoſcendo col ſuo ſanto Zelo, quanto ſia neceſſario vn precedente diuoto raccoglimento di ſpirito per degnamente prepararſi, tanto in ordine alli promouendi al riceuimento de gli ordini, quanto riſpetto alle ſpoſe di Chri-

Chriſto al veſtir l'habito, e profeſſar lo ſtato Religioſo, vuole, e comanda che tutti li promouendi, sì à gli ordini minori, come ſagri; debbano per dieci giorni continui auanti l'ordinatione ritirarſi à fare gli eſercitij ſpirituali nell'iſteſſa conformità preſcritta alli promouendi in Roma nella conſtitutione 126. della S. Memoria di Aleſſandro, Settimo, che comincia: Apoſtolica ſollicitudo, &c. e che parimente tutte quelle, che vorranno farſi monache in qualſiuoglia Monaſtero, anche ſoggetto a' Regolari, ſiano tenute fare li detti eſercitij ſpirituali per dieci giorni auanti che riceuino l'habito, e ſiano ammeſſe al nouitiato, e che li medemi eſercitij ſi debbano ripetere per l'iſteſſo ſpatio di dieci giorni auanti che ſiano ammeſſe alla profeſſione, alla quale la Santità ſua comanda, che non debbano eſſer riceuute, ſe prima non haueranno adempito queſta ſanta preparatione. Deſidera inoltre ſua Beatitudine, che ſi procuri con tutte le diligenze poſſibili, mà con modi ſoaui, e diſcreti, che ancora tutte le monache profeſſe vna volta l'anno almeno per qualche tempo, che ſi ſtimerà opportuno, faccino li medemi eſercitij per la rinouatione dello Spirito tanto neceſſaria à chi con eſſerſi rinchiuſa ne ſagri chioſtri deue profeſſare lo ſtato di perfettione. Non mancherà per tanto V. S. di dar pronta eſecutione à comando sì ſanto di ſua Beatitudine; & altresì ſcriuere ſua lettera circolare à tutti li ſuoi ſuffraganei, ac-

 ciò

ciò faccino il medemo nelle loro Dioceſi, & il Signor Iddio la proſperi Roma 9. Ottobre 1682.

Di V. S. come fratello affetionatiſſimo.

Ceſare Cardinal Fachenetti.

B. Panciatichi Segretario.

INSTRVCTIO

Pro examine illorum Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs, tàm in Curia Eminentiſs., & Reuerendiſs. D. Card. Vrbis Vicarij, quàm in alijs Curijs cæterorum Ordinariorum.

IN primis Teſtis moneatur de grauitate iuramenti, in hoc pręſertim negotio pertimeſcendi, in quo Diuina ſimul, & humana Maieſtas lęditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem; & quod imminet pœna Triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ętate, exercitio, & habitatione.

3. An ſit Ciuis, vel Exterus, & quatenus ſit Exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo Teſtis ipſe deponit?

4. An ad examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus: ſi dixerit acceſſiſſe ſpontè à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax. Si verò dixerit acceſſiſſe requiſitum; interrogetur, à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes?

5. Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine?

6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cuius qualitatis, vel conditionis exiſtant?

Si reſponderit negatiuè, Teſtis dimittatur, ſi verò affirmatiuè;

7. Interrogetur, an contrahere volentes ſint Ciues, vel Exteri, ſi reſponderit eſſe Exteros;

8. Interrogetur, à quanto tempore acceſſerint ad Vrbem, vel ad illum locum, in quo examinantur, vndè venerint, & an venerint in ſimul, vel ſeparatim?

Si reſponderit, veniſſe de recenti, vel inſimul;

ſuper ſedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras eorum Ordinarij, ac loci, à quo contrahentes receſſere, doceatur inter contrahentes non adeſſe impedimentum; & mulierem non eſſe raptam.

Si verò reſponderit veniſſe à multo tempore citrà, vel contrahentes eſſe ciues;

9. Interrogetur ſub qua Parochia hactenus contrahentes habitarunt, vel habitent de preſenti.

Item an ipſe Teſtis ſciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe vxorem, vel maritum.

Si reſponderit affirmatiuè, non procedatur ad licentiam, niſi producantur authenticę, & legales atteſtationes, vel Teſtes fide digni, & veriſimiliter informati de obitu coniugis defuncti.

Si verò Teſtis reſponderit non habuiſſe vxorem, vel maritum;

10. Interrogetur de cauſa ſcientię, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, & quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur, niſi ex alijs Teſtibus probetur concludenter non habuiſſe vxorem, vel maritum.

Si verò reſponderit negatiuè;

11. Interrogetur de cauſa ſcientię, ex qua deindè Iudex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides.

Si reſponderit contrahentes habuiſſe vxorem,

vel

vel maritum, ſed eſſe mortuos;

12. Interrogetur de loco,& tempore,quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat eſſe mortuos. Et ſi reſpondeat mortuos fuiſse in aliquo Hoſpitali, vel vidiſse ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militię ſepultos fuiſse à militibus, non detur licentia contrahendi, niſi prius recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prędicti deceſserunt, vel à Rectore Eccleſię, in qua humata fuerunt eorum cadauera, vel ſi fieri poteſt, à Duce illius cohortis, in qua deſcriptus erat miles.

13. Interrogetur, an poſt mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex prędictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negatiuè;

14. Interrogetur, an eſse poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo, quod ipſe Teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmatiuè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negatiua coarctetur concludenter.

Si verò negatiuè;

15. Interrogetur de cauſa ſcientię, qua perpenſa, Iudex poterit iudicare, an ſit concedenda licentia, vel non.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſse liberos, & in alijs ſerua-

ta

ta forma Concilij Tridentini in cap. Multi, ſeſs. 24.

Fides, aliaque documenta, quę producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarij, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attentè conſideretur, quod fides, ſeù teſtimonia benè, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro Teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quàm extranei, quia preſumuntur meliùs informati, & Ciues magis, quàm Exteri; nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio; Et Notarius exactè deſcribat perſonam teſtis, quem, ſi cognoſcit, vtatur clauſula, *mihi benè cognitus*: tùm minus, examen non recipiat, niſi vna cum perſona teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quę atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius teſtis. Et huiuſmodi examinibus debet intereſse in Vrbe vltra Notarium Officialis ſpecialitèr deputan. ab Eminentiſſimo Vicario, & extrà Vrbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda; alias puniatur Notarius arbitrio Sacrę Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij pręcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorú Dioeceſibus exiſtentibus, vt pro ma-

tri-

trimonijs cùm Exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſijs, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium &c.

Contrauenientes autem ſeuerè punientur.

Poſt verò emanatas ab eadem Sacra Congregatione prædictas inſtructiones, cùm nihilominus nonnulla circa earumdem obſeruantiam, & exequutionem in dubium reuocarentur ob caſuum contingentiam, quæ fortè vix in praxim deduci poterant, fuit ad eamdem Sacram Congregationem habitus recurſus, eiſdemque Eminentiſs. Patribus ſupplicatum, quatenus ſequentia declarare dignarentur: Propterea capita infraſcripta ibi propoſita ita declararunt, & reſoluerunt, videlicet.

Reſolutiones S. C. Inquiſitorum in cauſis matrimonialibus.

PRimò, an præfatarum litterarum forma ſit ſeruanda in caſu neceſſitatis, & ſic contrahere volentibus exiſtentibus in articulo mortis?

Reſp. non eſſe ſeruandam in articulo mortis, intrà quem ſcilicet probabiliter non adſit tempus ſufficiens faciendi diligentias: Cum hoc etiam, quòd ſi

infirmus fortè conualuerit, debeant fieri diligentiæ iuxta inſtructionem, antequam ſimul conueniant.

Secundò, an atteſtatio Ordinarij requiratur pro Exteris, qui diſceſſerunt ab eorum infantia, vel tempore non nubili, & peruenerunt ad locum, vbi matrimonium contrahere cupiunt, ibique continuò permanſerunt. R. eam, vt iacet, non requiri.

Tertiò, an requiratur pariter dicta atteſtatio pro Exteris, qui per decem annos, & vltrà, domicilium acquiſiuerunt in loco, vbi ſunt matrimonium contracturi, ſi eorum ſtatus liber probatur per teſtes fide dignos, tam originis, quam domicilij. Reſp. requiri.

Quartò, an requiratur dicta atteſtatio pro illis Exteris, qui vnicam, vel plures vxores duxerunt; & è contrà, ſi mortuæ fuerint in loco, vbi iterum matrimonium contrahere deſiderant: ac amplius poſt mortem à dicto loco non diſceſſerunt Reſp. requiri.

Lettera della Sacra Congregatione ſopra i Veſcoui, e Regolari intorno l'età di quelle, che prendono l'habito di Monache diretta all'Eminent. Sig. Cardinale Giulio Spinola Veſcouo di Lucca.

E Stato rappreſentato alla S. Congregatione da perſona zelante, e degna di fede, che ſiaſi co-

ſtì

ſtì introdotto vn abuſo di dar l'habito religioſo à zittelle ne monaſterij di Monache, auanti che compiſchino l'età di quindeci anni; Queſti Eminentiſs. miei Signori volendo rimediare à tale abuſo m'hanno comandato di ſcriuer à V. Eminenza, che ſi compiaccia di non permettere in auuenire, che le zittelle s'ammettino all'habito regolare, ſe non doppo, che haueranno compiti li quindeci anni della loro età; ſtimando l'Eminenze loro coſa molto irragioneuole, e di peſſima conſeguenza obligar eſſe zitelle à tal peſo in età minore di quindeci anni compiti. Lo ſignifico à V. Eminenza, e le baccio per fine humilmente le mani. Roma 19. Agoſto 1679.

Di V. Emin.

Vmiliſs., & affetionat. Seru.
Il Cardinal Gaſpardi Carp.
Gio: B. Arciueſcouo di Genoua Segret.

Declaratio Sacræ Congreg. Concilij Trid. à Sanctiſs. D.N. Clemente Papa Vndecimo approbata ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium.

DIe 11. Maij 1669. Sacra Congregatio Emin. S. R. C. Cardinalium Concilij Tridentini In-

 terpre-

terpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares, abſque licentia crates Monaſteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prętendentes non eſſe interdictum per breue tempus, etiam vſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, moniales, aliaſque perſonas intra clauſuram exiſtentes, alloqui; & hanc opinionem tanquam tutam affirmant, diſſeminant & forſan etiam ſcriptis euulgant, proprias grauiter illaqueantes conſcientias, ſcandala confouentes, ad huiuſmodi pernicioſos errores eliminandos, opinionem prędictam improbans, reijciens, ac damnans, declarauit Regulares cuiuſcumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſtituti, etiam de quibus ſpecialis mentio foret habenda, qui ad Monaſteria Monialium, quamuis ab Ordinarij iuriſdictione quomodolibet exempta, & etiam ipſis Regularibus ſubiecta, vel alias ſpeciali mentione digna, abſque legitima facultate accedunt, colloquendo, etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum monialibus, aut alijs intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuę, alijſque contra Regulares accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium, ſtatutis pęnis, poſſe ab Ordinario, tanquam Sedis Apoſtolicę delegato, coerceri. Et die ſeptima Iunij eiuſdem anni facta relatione Sanctiſſ. D. N. Sanctitas Sua præſentem

decla-

declarationem approbauit, ac typis dari ſeruarique iuſſit.

A. Card. Celſus Præf.
Loco ✠ ſigilli.

S. Brancaccius Archiep. Adrianopolit. Secret.

Decretum circa proclamationes matrimoniorum faciendas.

Stephanus Miſeratione Diuina tituli S. Laurentij in pane, & perna S. R. C. Presbyter Cardinalis Duratius Archiepiſcopus Genuen.

QVia creſcente hominum malitia, etiam magis in dies eorum fallaciæ creſcunt, & multiplicantur, & fallacijs huiuſmodi perſæpè ad Sacramenti Matrimonij celebrationem malitiosè, prætermiſſis, ſeu euitatis ſolemnitatibus à Sacris Canonibus, & Sacro Tridentino Concilio præſcriptis, deuenitur, ſeù deueniri tentatur, etiam in animarum periculum, & detrimentum; Volenteſque propterea huic morbo quantum poſſumus obuiare; Ideo per præſens noſtrum decretum oſtio Palatij

 Archie-

Archiepiſcopalis, ac Valuis Eccleſiæ noſtræ Maioris Ianuen. publicè, vt moris eſt, in forma edicti publici affigen., vt ad omnium notitiam perueniat, præcipimus, & mandamus, vt in futurum proclamationes cuiuslibet matrimonij contrahendi, in Ciuitate, & Diœceſi noſtra Genuen. fiant, non ſolum in Eccleſia parochiali, in cuius parochia ſponſi tunc temporis actualiter habitabunt, ſed etiam quando illorum habitatio huiuſmodi annum integrum non excederet, in illa parochiali Eccleſia, in cuius parochia ijdem ſponſi antea pro maiori parte temporis habitaſſent. Qui autem contra formam huius decreti matrimonium aliquod celebrauerint, ſeù celebrari quomodolibet procurauerint, aut tentauerint, graui pæna Nobis arbitraria, à Nobis, vel Vicario noſtro punientur. In quorum &c. Dato Genuæ in Palatio Archiepiſcopali noſtro die vltima Februarij 1646.

Stephanus Card. Duratius Archiep.

Iulius Vincentius Gentilis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Genuenſis, & Sanctiſs. D. N. Papæ aſſiſtens.

VEſtigijs fæ. recordationis Eminentiſs., & Reuerendiſs. Domini Stephani Cardinalis Duratij

ratij Prædeceſſoris noſtri inhærentes, decretum prędictum, ac omnia, & ſingula in eo contenta confirmamus, & ad amuſſim ſeruari mandamus, ſub pęnis in eodem decreto contentis. Et ita &c. Datum Genuæ in Palatio Archiepiſcopali anno 1683. die 8. Maij.

F. Iulius Vincentius Gentilis Archiep. Ianuen.

Inſtruttione per li Parrochi.

NEll'Ordine Gerarchico della Chieſa doppo il grado di Veſcouo, il più neceſſario, & in conſeguenza il più pericoloſo, e più graue è l'vfficio del Parroco; Imperòche ſono i Curati dell'anime i Dottori della legge Euangelica, i Maeſtri, e le guide della Chriſtiana plebe, & i Cuſtodi della greggia del Signore; In eſſi però più che in ogn'altro vnitamente ricercanſi bontà di vita per edificare, Dottrina per inſtruire, e grauità di coſtumi, per accreditarſi nel popolo.

E perche la dottrina è vno de principali requiſiti, che deue hauere il Parroco, però dourà ogn'vno di eſſi attendere allo ſtudio, frequentare le conferenze ſecondo gli ordini già preſcritti, & oltre il Cathechiſmo, e Rituale Romano, & il S. C. di Trento, hauere la Sacra Scrittura, e qualche altro libro, almeno di

caſi di conſcienza, d'homilie de Santi, ò di prediche per poter camminare fondatamente ne' caſi, che occorrono nelle confeſſioni, e per poter inſieme diſcorrere ſopra gli Euangelij ne' giorni di feſta al popolo, & inſtruirlo nelle coſe pertinenti alla ſalute.

In ogni Domenica dourà omninamente il Parrocho inſegnare la dottrina Chriſtiana per lo ſpatio almeno di vn hora con l'aiuto, & opera de fratelli della Compagnia della medeſima Dottrina nella forma, che aggiungeremo in appreſſo, ponendo ogni ſtudio, anche fuori di queſto tempo, che tutti, e particolarmente le pouere perſone di Campagna imparino il Pater noſter, l'Aue Maria, il Credo, & i dieci Comandamenti. E perche queſto ſanto eſercitio ſia fatto con quella maggior accuratezza, che ſi deue, ne' luoghi, doue ſono altri Sacerdoti, e Chierici, douranno queſti aiutare il Parroco, & oſſeruare eſattiſſimamente, anche in queſta parte, li decreti ſinodali.

Sia diligente il Parroco in conſeruare la Chieſa, gli Altari, la Sacriſtia, e la ſupellettile ſacra con quella politia, che ſi conuiene, e particolarmente ogni quindeci giorni nell'Inuerno, & ogni otto nell'Eſtate rinuoui il Santiſſimo Sacramento dell'Altare. Rinuoui parimente ogni otto giorni l'acqua ſanta, benedicendola con cotta, e ſtola.

In tutte le Chieſe parrochiali ſi ſuoni l'Aue Maria trè volte il giorno, cioè nell'aurora, nel mezzo dì, e ſul

e ſul tramontare del Sole. In oltre, verſo vn' hora di notte, ogni ſera diano ſegno con la Campana di pregar Dio per l'anime de' defonti. E perche tutti ſappiano quando è vigilia di precetto, la ſera auanti, doppo ſuonata l'Aue Maria, ſi diano quindeci, ò venti tocchi per accennarlo.

Non manchi il Parroco di publicare ogni Domenica inter Miſſarum ſolemnia al ſuo popolo le feſte di precetto, e di deuotione, come anco le vigilie di quella ſettimana.

Inuigili contra li beſtemmiatori, concubinarij, & altri publici peccatori, e prema ſommamente per l'oſſeruanza delle feſte.

Circa l' amminiſtrare i Sacramenti pongano i Parrochi in eſecutione ciò, che ſi ordina nel ſinodo. Stiano ſempre pronti per vdire le confeſſioni, e particolarmente la ſettimana ſanta, e le vigilie delle feſte ſolenni, e la mattina delle medeſime feſte.

E perche la maggior diligenza del Parroco deue eſſere in aſſiſtere à gli infermi, e moribondi, & armarli opportunamente coll'armi fortiſſime de' Santi Sacramenti contra l'inſidie de nemici infernali, perciò douranno inuigilare attentamente per intendere, ſe nella ſua Parrochia vi ſia alcun'infermo, & all' hora viſitarlo frequentemente, diſporlo con carità à confeſſarſi, animarlo alla tolleranza del male, ſuggerirli opportunamente qualche motiuo per ſalute dell'anima, e per vnirſi ſtrettamente col Signor Iddio;

dio, Amminiſtrargli in fine à proportione del biſogno il ſacro Viatico, e l'Eſtrema Vntione.

Circa il precetto della comunione Paſchale, oſſeruino gli ordini ſinodali: e ſi ricordino dell'obligo loro, che è di non ammettere alla comunione gli Vſurarij, Concubinarij, Meretrici, & altri publici peccatori. Auuertano, & inculchino à tutti, particolarmente nella Domenica di Paſſione, e delle Palme, che ciaſcheduno è obligato di comunicarſi nella propria Parochia: E contra quelli, che non ſi ſaranno comunicati, doppo fatte le monitioni canoniche, e doppo hauerli notificati à Noi, ò al noſtro Vicario Generale, procederanno ſecondo l'ordine, che loro verrà dato, alla fulminatione della ſcommunica. Et oltre le dette monitioni publiche, ſarà bene, & effetto di paterna carità ammonirli priuatamante à ſolo à ſolo, acciò che non poſſano allegare ſcuſa, ò ignoranza veruna.

Sappiano i Parochi eſſer tenuti alla reſidenza nelle loro cure, e però non ardiſcano ſtar fuori ſenza noſtra licenza, ò del noſtro Vicario Generale, anzi nè pernottare fuori della propria Parrochia ſenza licenza del Vicario foraneo, alla forma de decreti ſinodali. Nè parrà loro ſtrana vna tale obligatione, ſe rifletteranno all'obligo, che hanno di rendere ſtrettiſsimo conto à Dio dell'anime alla loro cura commeſſe.

Non s'ingeriſcano in alcun modo negli intereſſi

della

della Comunità, ſe non in quei capi, che la carità gli ſpingeſſe à preſtare il loro aiuto; mà tutta la loro premura ſia in attendere alla cura dell' anime. E ſappiano, che quanto minor familiarità prenderanno con i ſecolari, tanto più di credito, e di riſpetto ſi acquiſteranno appreſſo il popolo.

Facciano tutti l'Archiuio delle ſcritture pertinenti alle loro Chieſe, e come fedeli amminiſtratori del Patrimonio di Giesù Chriſto difendano, e conſeruino con ogni diligenza i beni, e ragioni ſpettanti alle medeſime Chieſe, e ne facciano l'inuentario.

Non ſi ſcordino ſopra tutto la manſuetudine, e la pietà verſo le loro pecorelle, tanto raccomandate dal medeſimo Noſtro Signor Giesù Chriſto; e ſpecialmente la moſtrino in non vſare molto rigore nell'eſattione delle decime, emolumenti funerali, & altro; e molto più con li poueri, i quali doueranno più toſto aiutare; & in caſo di morte douranno parimente ſepelirli per amor di Dio, e ſenza alcuna recognitione, ò mercede.

Conſiderino per vltimo li Curati d'anime, che ad eſſi più che ad ogn'altro appartiene l'oſſeruanza de decreti ſinodali, e che eſſi ſono ſtati poſti da Dio ſul candeliere per riſplendere, per edificare, e non per diſtruggere; e che però col puntuale adempimento dell'obligo loro, con vn'aſſidua applicatione al culto Diuino, con la grauità de coſtumi, e con vna vita irreprenſibile deuono moſtrarſi tali, che vengano

 ſtimati

ſtimati degni del grado, che ſoſtengono, e tenuti habili à paſcere la greggia del Signore Verbo, & exemplo.

Auuiſi a' Curati dell'Anime per inſegnar la Dottrina Chriſtiana.

L'Obligo importantiſſimo de' Patrochi, trà gli altri vfficij, indiſpenſabilmente richiede, che con ogni diligenza inſegnino à ſuoi ſudditi la Dottrina Chriſtiana, cioè quello, che deuono credere, & oſſeruare; Per tanto tutti quelli, à quali è commeſſa la cura dell'anime, procureranno di adempire queſto debito con ogni attentione, e ſollecitudine, nè tralaſciare giorno alcuno feſtiuo, almeno di Domenica, in cui non inſegnino a' fanciulli, & à gli altri dell'vno, e dell'altro ſeſſo, tutto quello, che deuono credere, e ſperare per conſeguire l'eterna ſalute, & à fine di renderne la pratica più comoda, e profitteuole, ſi varranno dell'opera de fratelli, e ſorelle della Compagnia della Dottrina Chriſtiana: per il qual fine n'aggiungiamo quì ſotto le inſtruttioni.

Sapendo dunque, che la Santa mem. di Pio Quinto hà paternamente eſortato gli Ordinarij de luoghi ad inſtituire nelle loro Dioceſi tante Compagnie della Dottrina Chriſtiana, quante ſi ſtimeranno neceſſarie per ammaeſtrare gl' ignoranti nelle coſe del-

 la

la noſtra Santa Fede, con arricchire gli operarij di dette Compagnie d'Indulgenze, e teſori ſpirituali, quali ſono poi dalla S. Memoria di Paolo Quinto notabilmente accreſciute, dichiarando di più queſto Pontefice, che eſſendo canonicamente inſtituita in vna Diocesi vna compagnia della Dottrina Chriſtiana, e quella aggregata all'Archiconfraternità di Roma, rimanghino tutte le altre compagnie ſparſe per la Diocesi, aggregate alla medeſima Archiconfraternità, e partecipi delle ſudette copioſiſſime Indulgenze.

Habbiamo perciò riſoluto di approuare, gli infraſcritti Capitoli della Compagnia della Dottrina Chriſtiana già formati dalla fel. mem. del Sig. Cardinal Durazzo, e ſucceſſiuamente comandare, come facciamo, à tutti i Parrochi della noſtra Diocesi, che, doue ſin' hora non è ſtata canonicamente eretta detta compagnia, ſi debba quanto prima inſtituire, con la direttione de medeſimi capitoli, acciò ſi poſſino da fedeli conſeguire le dette Indulgenze, & i popoli poſſino eſſer ammaeſtrati nelle coſe neceſſarie per ottenere la loro eterna ſalute.

Capitoli per la Compagnia della Dottrina Chriſtiana.

IL fine principale della Compagnia della Dottrina Chriſtiana è di honorare noſtro Signor Gieſù

Chriſto, e di imitare le ſue ſante virtù, maſſime la ſua gran Carità in cercare, e tirare à sè li fanciulli, e poueri per inſegnarli la viá del Cielo.

Doueranno li fratelli, e ſorelle della Compagnia eſortare tutti à frequentare la Dottrina Chriſtiana, e mettere inſieme li figliuoli, e figliuole in Chieſa le Feſte, e Domeniche: Auuiſare i Padri, e Madri di mandare i loro figliuoli, e ſeruitori, & anche di accompagnarueli, & eſſendo in Chieſa aiutare il Parrocho nell'inſegnare la dottrina Chriſtiana nel modo, che quì in appreſſo ſi dirà.

Direttore della compagnia reſterà ſempre il Parroco, ſenza del quale non ſi dourà fare deliberatione in coſa ſpettante al progreſſo di eſſa, hauendo detta compagnia da ſeruire per aiuto al medeſmo Parroco, à cui di ragione appartiene d'inſegnare la dottrina Chriſtiana.

Sarà retta la compagnia con aſſiſtenza del Parroco da vn Priore, Sottopriore, e ſei conſiglieri per i luoghi più numeroſi, e quattro ſolo per gli altri manco numeroſi, li quali ſaranno eletti la prima volta dall'Ordinario, ò da altro dà lui deputato; poi ogn'anno ſi farà l'elettione de ſopradetti Priore, Sottopriore, e conſiglieri publicamente in Chieſa nella ſeconda, ò terza Feſta del S. Natale à voti de fratelli della compagnia con l'aſſiſtenza del Parroco, il quale dourà prima con vna eſortatione publica ammonire ciaſcheduno di eſſa compagnia à concor-

rere con loro voti nell'elettione di quelle perſone, che ſtimeranno più habili à queſta carica, col ſolo riguardo alla maggior gloria di Dio, e bene della compagnia.

Il Priore, Sottopriore, e conſiglieri in fine dell'anno del loro vfficio nelle Feſte del Santo Natale nomineranno due per ogn'vno di loro, de quali propoſti, che ſaranno alla compagnia, chi hauerà più voti reſterà eletto Priore, & il ſecondo Sottopriore, il terzo, e quarto per conſiglieri; & eſſendo voti pari, s'intenda ſempre eletto il più vecchio, alli quali ſi aggiungeranno per conſiglieri li due, che ſono immediatamente ſtati Priore, e Sottopriore, acciò vi ſiano ſempre due informati della compagnia per il buon Gouerno; & à queſta funtione, & ad ogn'altra interuenga il Parroco, come principale direttore.

Tutti quelli, che vorranno eſſer di queſta Compagnia douranno eſſer la prima volta accettati, ò dall' Ordinario, ò dal di lui deputato, il quale determinerà vn certo numero, tanto di fratelli, come di ſorelle, e quando ſaranno mancati alcuni, ò alcune di queſti, chi vorrà entrare in loro luogo, ſi preſenterà al Priore, il quale ne darà auuiſo al Parroco, Sottopriore, e conſiglieri, e queſti pigliata c'hauranno informatione de coſtumi di chi ſi preſenta, il Priore piglierà i voti de conſiglieri, e concorrendo la maggior parte con voti fauoreuoli, & approuatione del Parroco, reſteranno accettati, e ſaranno ſcritti in vn libro à

ciò deſtinato per mano del Parroco.

Et ancorche ſia vfficio di tutti li fratelli, e ſorelle della compagnia di eſortare i figliuoli, & altre perſone à venire alla dottrina Chriſtiana, di queſto però doueranno hauer penſiero particolare il Priore, e Sottopriore, andandoli à cercare per le ſtrade, e conducendoli con carità, e piaceuolezza alla Chieſa: e non potendo ſupplire per ſe ſteſſi, deputeranno altri de fratelli, e ſorelle per loro aiuto, & in queſto vfficio douranno tutti li fratelli, e ſorelle concorrere con grande prontezza, e carità per l'amore di noſtro Signor Gieſù Chriſto.

Di più dourà detto Priore vſare diligenza, che ſtiano li figliuoli in Chieſa con modeſtia, e ſilentio, ouero incaricare queſta cura à qualcheduno de conſiglieri, ò ad altri fratelli, ò ſorelle della compagnia, deputando vn' huomo, & vna donna per queſto effetto, quello per li maſchi, e queſta per le femmine.

La Dottrina Chriſtiana ſi farà in Chieſa le domeniche; e caſo che vi foſſe qualche villa remota, i popoli della quale non poteſſero così facilmente concorrere alla parochia, ſi manderanno colà con licenza del Parroco dal Priore, e Sottopriore due fratelli, i quali, ò in qualche Oratorio, ſe vi foſſe, ò in qualche altro luogo comodo, faranno la carità d'inſegnarli.

Sarà deputato vno de fratelli de più habili dal Priore Sottopriore, e conſiglieri col parere del Paro-

co,

co, il quale dourà trouarſi in Chieſa in quell' hora, che il Parroco ſtimerà più opportuna, & iui comincieranno la dottrina Chriſtiana, con inſegnare alli figliuoli, prima à formare bene il ſegno della Santa Croce, poi à recitare il Pater noſter, l'Aue Maria, il Credo, li Comandamenti, li Sacramenti, & altre coſe neceſſarie alla ſalute, delle più facili, ſecondo il metodo, che ſarà loro preſcritto dal Parroco; e douranno inſiſtere tanto in ciaſcheduna domanda, che ogn'vno la poſſa comodamente imparare: Ne douranno eſtenderſi nella dichiaratione de i punti della Dottrina Chriſtiana; laſciando far ciò al Parroco, ò al ſuo Curato aſſiſtente, al quale doppo la funtione de fratelli, toccherà il dichiarare gli articoli del Simbolo, i comandamenti di Dio, & altri miſterij con le interrogationi proprie in queſta materia, terminando poi col racconto di qualche eſempio à propoſito di quello, che hauerà inſegnato.

Tntti quelli, che ſaranno di detta compagnia douranno incominciare da sè ſteſſi, e prima imparar bene la dottrina Chriſtiana, poi inſegnarla priuatamente a' ſuoi figliuoli, e famiglie; e poi di mano in mano faranno la carità à tutti quelli, che vedranno hauer neceſſità d'eſſer inſtrutti, il tutto con prudenza, e carità.

Douranno li fratelli della compagnia ad eſempio del noſtro Saluatore, il quale, cœpit facere, & docere; Inſegnare la dottrina Chriſtiana primieramente

coll'

coll'opere; ſi aſterranno perciò dalle beſtemmie, mormorationi, conteſe, tauerne, giuochi, balli, parole dishoneſte, e ſconce, e finalmente da tutto quello, che ſia offeſa di Dio, acciò col buono eſempio poſſino ſeruire di guida à gli altri nell'oſſeruanza della Diuina legge.

E venendo il caſo (che Dio non voglia) che qualcheduno de fratelli foſſe ſcandaloſo, ò deſſe mal'eſempio, il Priore douerà auuiſarlo vna, ò due volte in particolare; Se non s'emenderà, chiamarlo in preſenza di vno, ò due conſiglieri, e di nuouo auuiſarlo, & eſortarlo all'emendatione; poi ſe perſeuererà tutta via, farne parte al Parroco, Sottopriore, e conſiglieri per deliberare di ſcaſſarlo dal numero de fratelli.

Ogni anno la compagnia farà ſolennità particolare nel giorno della Santiſſima Trinità, confeſſandoſi, e comunicandoſi tutti: ſi terminerà la ſolennità con vna proceſſione generale, alla quale ſaranno tutti preſenti con la douuta modeſtia, e riuerenza.

Tutti li fratelli ſi confeſſeranno, e comunicheranno almeno vna volta il meſe, maſſime nelle feſte principali dell'anno, e daranno poi ſempre ſegno di profitto Chriſtiano nell'oſſeruanza della Diuina legge, e s'impiegheranno nelle opere della miſericordia, così corporali, come ſpirituali.

E perche la compagnia della Dottrina Chriſtiana hà

hà per fine principale d'inſegnare le coſe della fede à gli ignoranti, per non diuertirſi dal proprio inſtituto, i fratelli non veſtiranno habito alcuno, ne haueranno caſſette, ò buſſole in Chieſa per riceuer limoſina, douendoſi omninamente impiegare detti fratelli nell'inſegnare, e condurre alla Chieſa gl' ignoranti: eſſendole però fatta qualche limoſina, con interuento del Parroco ſi ſpenderà in coſa ſpettante alla Compagnia, come in comprare corone, ò qualch'altra coſa di diuotione da diſtribuirſi à poueri.

Potranno eſſer accettate nella Compagnia ancora le femmine per eſſer partecipi dell'Indulgenze, maſſime quelle, che ſaranno della Compagnia della Carità, le quali hauendo per vfficio di ſomminiſtrare à poueri infermi il cibo corporale, potranno anche con facilità eſortarli al bene, come confeſſarſi, &c. & eſſendo ignoranti inſtruirli ſecondo la loro capacità delle coſe più neceſſarie: e di queſte ſaranno aſſignate due ogni anno dal Priore, Sottopriore, e conſiglieri con approuatione del Parroco, la cura delle quali ſarà di cercare, e condurre alla Chieſa le figliuole, & aſſiſterle à farle ſtare con ſilentio, e diuotione, quando s'inſegnerà la dottrina, e darle buon eſempio con opere ſante, e virtuoſe.

Saranno ogni meſe annuntiate dal Parroco le Indulgenze in fine della Dottrina, acciò ciaſcheduno poſſa fare quello, che ſi ricerca per conſeguirle, eſſortando perciò tutti à valerſi delli Teſori ſpirituali,

de quali reſta la Compagnia da Sommi Pontefici arricchita.

Inſtruttione per gli Ordinandi.

TVtti quelli, che vorranno ordinarſi alla prima tonſura, & à ciaſcheduno degli ordini ſacri, douranno vn meſe prima dell'ordinatione preſentarſi auanti i Deputati ſopra gli Ordinandi per far riconoſcere i loro ricapiti, e requiſiti aggiuſtati alle formole infraſcritte.

Si ricorda à tutti quelli, che hauranno da fare atteſtationi ſopra le qualità, e d'altri particolari per gli Ordinandi, il farle con ogni ſincerità, e rettitudine, ſecondo la verità; altrimente douendole confermare con il loro giuramento, oltre l'incorrere nello ſpergiuro, diuerrebbono ancora rei di tutto il danno, che per le loro poco veridiche, ò falſe atteſtationi ne proueniſſe all'anime per la promotione de' mali Miniſtri Eccleſiaſtici.

Nei caſi, ne i quali ſi dourà promuouer alcuno al ſacro ordine del Subdiaconato à titolo di Patrimonio per vtilità, e comodità delle Chieſe, ſecondo i termini preſcritti dal Sacro Concilio di Trento, quelli, à quali aſpetta, deſcriueranno diſtintamente la quantità, e qualità de beni da ſottoporſi al Patrimonio, de quali ſi farà ſtima, tanto de fondi, quanto delle rendite da publici eſtimatori del luogo, non

pa-

parenti, nè altrimente intereſſati con l'Ordinando, nè con chi gli aſſegna il Patrimonio, & in caſo che i publici eſtimatori haueſſero queſta eccettione, ſi farà la ſtima predetta da altre due perſone pratiche, & accreditate; e ſi faccia ſempre preſente il Parroco, e ſia con eſpreſſo giuramento sì delli ſtimatori, come del Parroco confermata. Il valore di eſſi Patrimonij non ſia meno di ſcudi mille argento, & il frutto non minore di ſcudi 36. ſimili.

Come da noi ſi procederà con gran circonſpettione in ammettere chi haueſſe eſercitato eſercitij vili, & indecenti allo ſtato Clericale, così quelli che ſaranno già ordinati doueranno aſtenerſi da impieghi, & eſercitij non proportionati all'habito, che portano, & haueranno le loro atteſtationi giurate da i loro Parrochi di non hauer praticato, nè praticare ſimili eſercitij.

Fede de i requiſiti di chi deue ordinarſi per la prima tonſura.

1. Del Batteſimo.
2. Della Creſima.
3. Della bontà della vita, coſtumi, e frequenza della dottrina Chriſtiana.
4. Della ſcuola, e frequenza de Sacramenti.
5. Delli proclami fatti del di lui nome, e deſiderio, nella Chieſa della ſua Parochia.

6. Del non hauer eſercitato eſercitij vili, & indecenti.

7. Di non eſſer ſtati inquiſiti, precettati, e condannati.

Per gli ordini minori.

1. Della prima tonſura.

2. Della bontà della vita, e coſtumi, e di non hauer eſercitato, ne eſercitare eſercitij vili, & indecenti.

3. Della ſcuola, dottrina criſtiana, e frequenza de' Sacramenti.

4. Dell'eſercitio degli ordini riceuuti, e ſeruitio della Chieſa.

5. Della frequenza alle Conferenze de caſi di conſcienza.

Per il Subdiacono.

1. Dell'vltimo ordine minore.

2. Delli proclami fatti in Chieſa del ſuo nome, e deſiderio, e del pacifico poſſeſſo del titolo, à che ſi ordina.

3. Del non hauer eſercitato, nè eſercitare eſercitij vili, & indecenti allo ſtato.

4. Dell'età di vintidue anni cominciati.

5. Dell'eſercitio dell'ordine, e ſeruitio preſtato alla Chieſa.

6. Della frequenza della Santiſſima Communione.

7. Della bontà di vita, e coſtumi, e frequenza della dottrina Chriſtiana.

8. Dalla frequenza della Conferenza de caſi di conſcienza.

9. Del titolo, al quale s'ordina, e del ſuo pacifico poſſeſſo.

Per il Diaconato.

1. Del Subdiaconato.

2. De proclami fatti, come ſi è detto, per il Subdiaconato.

3. Del non hauer eſercitato eſercitij vili, & indecenti.

4. Di hauer eſercitato il Subdiaconato, e ſeruito in Chieſa.

5. Della frequenza della Santiſſima Comunione.

6. Della bontà di vita, e coſtumi, e della dottrina Chriſtiana.

7. Della frequenza delle Conferenze de caſi di conſcienza.

8. Dell'età di 23. anni incominciati.

1. Del Diaconato riceuuto.
2. De proclami fatti come ſopra.
3. Dell'età di anni 25. cominciati.
4. D'hauer eſercitato l'ordine antecedente, e ſeruito alla Chieſa, e non hauer eſercitato eſercitij vili, & indecenti.
5. Della frequenza della Santiſſima Comunione.
6. Della bontà della vita, e coſtumi, e frequenza della dottrina Chriſtiana.
7. Della frequenza delle conferenze de caſi di conſcienza.

Oltre i predetti requiſiti dourà ogni Ordinando prima della ſacra ordinatione hauer fatti gli eſercitij ſpirituali alla forma della lettera della Sacra Congregatione, e mente di noſtro Signore.

Formola di publicatione da farſi per gli initiandi alla prima tonſura.

DEſiderando N. di queſta parochia eſſer aſcritto alla militia Clericale per pigliare la prima tonſura, ſe alcuno ſapeſſe, che haueſſe alcuno canonico impedimento, come non nato di legitimo matrimonio, non creſimato, ſcomunicato, interdetto, irregolare, inquiſito, proceſſato, ò condannato, ò ha-

ò haueſſe alla perſona difetto, debba in virtù di S. Obbediéza in termine di otto giorni à mè riuelarlo, acciò non trouandoſi impedimento alcuno poſſa proſeguire il ſuo deſiderio.

Formola di proclami per li promouendi à gli ordini Sacri.

DEſidera N. di queſta Parochia eſſer promoſſo all'ordine ſacro del Subdiaconato à titolo del ſuo beneficio, penſione, ò Patrimonio in conformità del S. Concilio di Trento; Tutti, e ſingoli, che ſapeſſero, che il medeſimo haueſſe qualche canonico impedimento, come, che non foſſe nato di legitimo matrimonio, foſſe ſcomunicato, interdetto, irregolare, inquiſito, querelato, proceſſato, condannato, ò che haueſſe altro notabile difetto perſonale, foſſe di mala vita, e di coſtumi, ò che non poſſedeſſe legitimamente, e pacificamente il beneficio, ò Patrimonio conſiſtente in pezzi di terra nel luogo detto N. e che non foſſe di annua rendita libera di ſcuti 36. argento per ſua congrua ſoſtentatione, ò foſſe ſottopoſto à fideicomiſſo, obligato, ipotecato, finto, ſimulato, ò fiduciario, ò che chi l'hà conſtituito, fatto, ò donato ſia talmente grauato di debiti perſonali, che non gli reſtino altri beni, per carità; ſono pregati, & in virtù di S. Obedienza ſi comanda loro, che debbano in termine di otto giorni manife-

nife-

niſeſtarlo à mè, acciò poſſa darne parte all'Illuſtriſs., e Reuerendiſs. Signor Arciueſcouo, ò ſuo Vicario Generale, e non trouandoſi alcuno de ſudetti impedimenti poſſa conſeguire il ſudetto ſacro ordine.

Præfatorum Synodalium decretorum ignorantiã nè quis prętendere poſsit, mandamus omnibus, & ſingulis Abbatibus, Prępoſitis, Archipresbyteris, Prioribus, Rectoribus, alijſq; curam animarum habentibus, tàm Sęcularibus, quàm Regularibus, vt intrà bimeſtris ſpatium, poſtquam hæ conſtitutiones impreſſę fuerint, eas ſibi comparaſſe debeant; Qui verò elapſo termino penes ſe eaſdem habere neglexerit, vnius nummi aurei pœnam ſoluat, & nihilominùs ad exequutionem huius decreti omnibus iuris remedijs compellatur.

Publicum Synodi documentum.

IN nomine Domini Amen. Anno à natiuitate eiuſdem milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio indictione quinta ſecundum Genuæ curſum Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Innocentij Diuina prouidentia Papæ Vndecimi anno eius ſeptimo.

Cum iam dies adueniſſet celebrationis Diœceſanæ Synodi per Illuſtriſs., & Reuerendiſs. in Chriſto P. & Dominum D. Iulium Vincentium Gentilem Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopum Genuen.

nuenti indictę prçuijs de more edictis, de quibus latiùs in actis Curiæ Archiepiſcopalis apparet, ad quæ, &c.

Seſſionis prima die, ſexta verò menſis Maij ad inchoandam Synodum præſcripta, manè in Eccleſia Metropolitana per Illuſtriſs. D. S. celebrata eſt miſſa de Spiritu Sancto ſolemni, & Pontificali ritu, prçſente Clero ſçculari in habitu decenti intra eiuſdem Eccleſię Cancellos, & Chorum, locum ad ipſam Synodum celebrandam electum conuocato; atque etiam aſſiſtente eiuſdem Metropolitanæ Reuerendiſſimo Capitulo, Dignitatibus ſcilicet, & Canonicis ſacris veſtibus, iuxtà vniuſcuiuſque ex eis dignitatem, & ordinem indutis; pro vt, & in tota Synodali actione ſemper eis vſi fuerunt, & finito primo dictę miſſæ Euangelio; à Perillu: & admod. R. D. Ioanne Benedicto Caſtagnola in dicta Metropolitana Canonico, præfato Illuſtr., & Reuerend. D. Archiepiſcopo annuente, habita fuit in ſuggeſtu eruditè, egregièque quidem, ac eloquentèr latina Oratio Synodali actioni accommodata; & finita miſſa, litanijſque, & alijs precibus ad Pontificalis prçſcriptum præmiſſis, Illuſtriſs. D. S. ad vniuerſum Clerum ſermonem habuit, non minus grauem, quàm paternis monitionibus, Patrumque ſententijs locupletiſſimum; & quam rei amplitudo expoſtulabat, quo peracto, per admod. R. D. Ioſephum Daneſium Canonicum Collegiatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Vinearum ſecretarium Synodi in ſuggeſtu lectum fuit, ita mandante

N præ-

præfato Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo, decretum de Synodo incępta, & quod incipit. In nomine Sanctiſſimæ, ac indiuiduę Trinitatis &c. Poſtea promulgauit ipſius Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi decreta, ſcilicet de modo viuendi tempore Synodi, de Miniſtris Synodalibus, de præiudicio in ipſa Synodali actione nemini inferendo, de non diſcedendo ad vrbe, quoad vſque dimiſſa fuerit Synodus, de Oratione publica, de emittenda fidei profeſſione per omnes pręſentes Synodo, qui ad eam tenentur, quam profeſſionem clara, & intelligibili voce idem admod. R. D. Secretarius legit iuxta felicis record. Pij Papę Quarti conſtitutionis formam, & eandem cęteri emiſerunt; poſt hęc prędictus admod. R. D. Secretarius de mandato, vt ſupra, legit decreta de continuatione ſeſſionis primę, de quibus omnibus reſpectiuè paritèr in eiſdem actis. Quibus abſolutis dimiſſi fuerunt omnes ad prandium, ac moniti ad redeundum hora vigeſima ad eandem Metropolitanam, & locum pro ipſius ſeſſionis continuatione, & de prędictis omnibus ſupradictus Perillus: & admod. *R.*D.Ioannes Benedictus Caſtagnola Canonicus prędictę Eccleſię, & admodum *R.* Iacobus Philippus Brignardelli Archipresbyter Lauanię Synodi Promotores rogauerunt me notarium, & Cancellarium, vt vnum, vel plura conficerem inſtrumenta: poſt hęc lectum fuit à ſupradicto M.*R.*D. Secretario decretum de diſceſſu.

Eadem

Eadem die à prandio congregata Synodo, vt ſupra, & eidem præſidente præfato Illuſtriſs., & Reuerendiſs. Domino Archiepiſcopo, ac in Sede Archiepiſcopali Pluuiali, & Mitra induto ſedente per eundem Admod. R. D. Canonicum Daneſium Synodi ſecretarium lectum fuit (D. S. Illuſtriſs. ita demandante) decretum de Clero vocando, & cathedratico ſoluendo; & mox decretum de ſcrutinio Synodali, nec non lecta fuit liſta diſtributionis cleri prò ſcrutinio, ac nominatim vocati fuerunt qui Synodo præſentes adeſſe debent, & notati abſentes; & exinde factum fuit decretum à præfato Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo, quod in facta vocatione Cleri nullum intelligatur allatum præiudicium alicui, & precipuè Perillu: & M. R. D. Abbati Sancti Matthęi attenta inordinata vocatione reſpectu eiuſdem; poſtea lectum fuit decretum de officio mortuorum, & cum iam aduesperaſceret (D. S. Illuſtriſs. ſic annuente) ipſe admod. R. D. Secretarius monuit pro ſecunda Synodi ſeſſione in ſequentem diem, moxque ſupradicti Perillui: & M. R.R.D.D. Promotores facta per eoſdem inſtantia contra abſentes, & accuſata eorum contumacia, & requiſitione pro proceſſu contra ipſos abſentes, vti inobedientes ad pænas, & cenſuras iuxta iuris formam, & Sacrorum Canonum diſpoſitionem procedi, & præfato Illuſtriſs. Domino Arciepiſcopo, ita fieri decernente (vt in actis) rogauerunt me Notarium, & Cancellarium, vt de prædi-

ctis omnibus, & ſingulis vnum, pluraue conficerem inſtrumenta.

Altera ſequenti die, quæ fuit eiuſdem menſis Maij ſeptima ipſamet Synodo in ſupraſcripto loco manè coram prçfato Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo ſedente, vt ſupra, congregata, & de Sanctiſſima Trinitate miſſa à D. S. Illuſtriſſima, vt ſupra celebrata vſque ad finitum primum Euangelium per admodum R. D. Hieronymum Merellum Archipresbyterum Eccleſię Rapalli (prçfato Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo annuente) habita fuit in ſuggeſtu eruditè, egregièque quidem, & eloquenter latina oratio Synodali actioni accommodata, & inde finita miſſa, alijſque precibus, vt ſupra præmiſſis, factaque inſtantia per ſupradictos M.R.R.D.D. Synodi Promotores pro ſcrutinio, & cathedratici ſolutione admod. R.D. Canonicus Daneſius Secretarius Synodi accepit librum conſtitutionum Synodalium iuſſu præfati Illuſtriſs. Domini Archiepiſcopi, & ſuggeſtum aſcendit, altaque, & intelligibili voce primo legit, & publicauit decretum de Iudicibus Synodalibus ex Con. Trid. ſeſs. 25. cap. 10. incipiens. Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem &c. Item conſtitutionem Bonifacij Octaui incipientem. Statutum, & infra poſtmodum Schedulam DD. Iudicum Synodalium, qui ab Illuſtriſs. D. S. in Iudices Synodales deputati ſunt, vt in actis, ad effectum approbationis, ſeu reprobationis,

vt ſupra, quos ipſa tota Synodus acceptauit, & approbauit, mox decretum de Examinatoribus ex Concilio Tridentino ſeſſione 24. cap. 18., quod incipit. Examinatores autem; deinde per dictum Admod. R. D. Secretarium propoſiti fuerunt in Examinatores M. R.R. D. D. in actis nominati; ac euocati ad iurandum omnes, vnus poſt alium in D.S. Illuſtriſſimę manibus ad Sancta Dei Euangelia iuxta formam, de qua in ipſis actis, iurauerunt, præter eos, qui legitimo detenti impedimento, ipſi Synodo minimè intereſſe potuerunt; poſtmodum lecta fuerunt per eundem M. R. D. Secretarium decreta, videlicet de Punctatoribus, de iure iurando, de præſtando iuramento ab abſentibus, de reſidentia ex Con. Tridentino ſeſſ. 6. cap. 2. de reformatione; Item ex eadem Coucilij ſeſſione 23. cap. 1. de reformatione, quod incipit. Cum præcepto Diuino &c.

Quibus lectis, & publicatis dimiſſi fuerunt omnes ad prandium, ſic mandante præfato Illuſtriſs. Domino Archiepiſcopo, ac moniti ad redeundum hora vigeſima ad eandem Metropolitanam, & locum pro ipſius ſeſſionis continuatione, & præfati perillu: & M. R. R. D. D. Promotores inſtantiam contra abſentes fecerunt, accuſaueruntque eorum contumaciam, vt ſupra; & inde rogauerunt me notarium, & Cancellarium vt vnum, ſeu plurà conficerem inſtrumenta.

Eodem die à prandio hora indicta congregata

Syno-

Synodo in loco ſolito cæremonijs de more ſeruatis, ipſomet Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D.Archiepiſcopo pręſidente, & conſidente, vt ſupra, de eius mandato prædictus M. R. D.Secretarius itidem ex ſuggeſtu omnia decreta Synodalium conſtitutionum altà, & intelligibili voce legit, & publicauit. Deinde Illuſtriſſima D. S. mandante terriam Synodi ſeſſionē pro die craſtina indixit, & omnes ad redeundum manè, hora vndecima monuit, & prędicti M. R.R. D. D. Promotores facta ſolita inſtantia contra abſentes, & accuſata eorum contumacia, vt ſupra rogauerunt me notarium, & Cancellarium, vt de prædictis omnibus vnum, pluraue conficerem inſtrumenta.

Die verò Sabbati octaua prædicti menſis Maij manè, cum in loco ſolito eadem Synodus congregata eſſet in ea præfato Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo præſidente, celebrataq; à D. S. Illuſtriſsima Miſſa de Beata Virgine vſque ad finitum primum Euaugelium, per M. R. D. Ioannem Antonium Quaquarum Sacrę Theologię profeſſorem præfato Illuſtriſsimo D. Archiepiſcopo annuente, habita fuit in ſuggeſtu eruditè, egregièque, ac eloquenter latina Oratio Synodali actioni accomodata; & ſubinde finita miſſa ſuit à ſupradicto Admod. R. D.Canonico Daneſio Secretario mandante præfato Illuſtriſs. D. Archiepiſcopo, lectum decretum de concluſione Synodi, de abſolutione à cenſuris; Item

quod

quod in procedendo in proceſſionibus intelligatur nulli allatum, neque afferri preiudicium; nec non publicauit condonationem cathedratici ab omnibus & ſingulis debiti occaſione præſentis Synodi, ſine tamen preiudicio Illuſtriſſimor., & *R*euerendiſsim. D.D. Archiepiſcoporum ſucceſſorum D. S. Illuſtriſs. in Archiepiſcopatu Genuen. eiuſque menſa, & Palatio Archiepiſcopali. Poſtea facta fuit per ſupradictos memoratos D. D. Promotores ſolita inſtantia contra abſentes, & accuſata eorum contumacia, & vt ſupra, præfatus Illuſtriſs., & *R*euerendiſs. D. Archiepiſcopus ad vniuerſum clerum alterum ſermonem habuit non minus quoque grauem, quàm paternis monitionibus Patrumque ſententijs refertum, vt rei magnitudo dictabat, quo peracto, & Hymno Te Deum laudamus decantato, habita fuit per, & circum Eccleſiam prędictam Metropolitanam proceſſio pro gratiarum actione; qua peracta ſupradictus admod. *R*. D. Secretarius legit, & publicauit decretum de dimiſſione Synodi, & inde præfatus Illuſtriſs., & *R*euerendiſs. D. Archiepiſcopus ad altare maius ſe contulit, & ibidem præmiſſis orationibus conſuetis, factiſque per Perillu., & admod. *R*. D. Marcum Antonium Marranam Canonicum prędictę Eccleſię debitis acclamationibus, ſolemnem toti Synodo benedictionem impertitus eſt, & à Perillu: & àdmod. *R*. D. Ioanne Iacobo Porrata Pręposito eiuſdem Eccleſię publicata indulgentia, Perillu:

lu: & admod. *R*. D. Petrus Ioannes *R*auaria Archidiaconus dictæ Eccleſiæ ad Clerum conuerſus dixit *Recedamus in pace*; ſed antequam recederent, ſupradicti, vt ſupra, DD. Promotores rogauerunt me Iacobum Leonardum Badaraccum notarium publicum Collegiatum Genuenſem, & Curiæ Archiepiſcopalis Genuæ, dictęque Synodi Cancellarium, vt de prædictis omnibus, & ſingulis vnum, vel plura conficerem inſtrumenta.

Acta fuerunt hęc ſupradicta omnia Genuę in Eccleſia prædicta Metropolitana, & vt ſupra, anno, indictione, Pontificatu, diebus, & menſe, de quibus ſupra, pręſentibus ad ſupradicta omnia, & ſingula, in ſupradictis omnibus ſeſſionibus acta, *R*euerendis Presbyteris Ioſepho Caſtiliono Presbytero Senogalien. & Iacobo Antonio Blancheto Presbytero Ianuen. familiaribus pręfati Illuſtriſs., & *R*euerendiſs D. Archiepiſcopi teſtibus vocatis, & rogatis.

Iacobus Leonardus Badaraccus Notarius, & Curię Archiepiſcopalis Genuę, & Synodi Cancellarius.

ORA-

ORATIO I.

Habita à

D. IOANNE BENEDICTO CASTAGNOLA

Metropolitanæ Eccleſiæ Canonico.

ARdua ſanè videtur prouincia, Antiſtes ampliſſimi, ornatiſſimi PP. ardua ſanè videtur prouincia, morum diſciplinam ſanctiſſimis decretis obfirmandam ſuſcipere. Iis tamen tantummodo facilimum leges condere, & ad vitiorum excidium, & ad virtutum propagationem, qui antequam ſuffragijs ſtatuant iam ſtabilierunt exemplis. Vnus vitę tuę tenor, vna morum tuorũ integritas, vna ſanctimonię tuæ auctoritas, Illuſtr. Prę ſul vti ſatis hactenus fuit ad incitandos hoſce meritiſſimos laborum tuorum ſocios, ita eſt ad vniuerſam Genuenſem Diæceſim optimis moribus imbuendam. Attamen ne modeſtiæ tuæ prę ſcripta tranſgrediar, dum leges ad virtutum omnium decus hoc ſapientiſſimo cætu meditaris, breuiſſimè diſſeram de grauiſſimo onere, quod ijs incumbit quibus Chriſtus ſalutaribus ſanctionibus Eccleſiam ſuam muniendam, obualandamq; commiſſit.

Memini dum Deus Moſi Hebraicum populum legibus inſtruendum credidit, memini dicam duas ta-

bulas teſtimonij in manu deferre iuſſiſſe: Intelligitis opinor Diuinæ mentis oraculum, videlicet opus eſſe ijs qui legis tradunt exequi ipſos quæ percipiunt, declinare ipſos quæ prohibent. Iura ſcribere, reſtinctam alicubi pietatem rurſus accendere, vitiorum fibras radicitus extirpare, deffluentes populorum mores coercere, diſcordias maturè componere, omnia ad ſacrarum legum præſcriptum exigere, & reuocare non poteſt, niſi qui præeat exemplo, & non tam verbo, quam opere doceat facienda. Traditurus erat Abraham legem, quæ ſine vulnere impleri non poterat, nimirum circumcidendus erat populus, & numero plurimus, & ætàte magna ex parte adultus, & mente ad obſequium contumax. Quà eloquentiæ vi, quà verborum lenitate, quo dicendi robore legem ſuadebit, ſanguine obſignandam, incidendam gladijs, humanis in corporibus imprimendam? Quis crederet niſi obſidem haberemus ſpiritum veritatis? Abrahamus vno ſui ipſius vulnere cauſam perorauit; ſtatim ac ſanctiſſimus legislator gladium ſtrinxit, manus omnium armauit, ſtatim ac ſanguinem fudit omnes tum vernaculi, tum Alienigenæ ſe ſe intrepidè cruentarunt; Puduit eum populum non exequi legem Legislatoris ſanguinè inſcriptam, & eius vulneribus promulgatam. Vſque ado verum eſt legem vtiliter rogare vix poſſe, niſi qui ferat in manù vt Moſes, vel ſuo ſanguine non obſignet vt Abrahamus.

Quæ

Quæ ergo morum innocentia, quæ ſanctimoniæ claritas, qui cultus religionis, qui ſplendor pietatis, qui charitatis ardor in ijs requiritur qui populos ad omnem virtutem legibus informandos ab omni vitio abſterrendos ſuſcipiunt?

Hoc quia: in eſdræ mentem altè deſcenderat vt à vitiorum iugo Iſraeliticum Populum vindicaret, quem ab Perſarum ſeruitute aſſeruerat; Quid eum molitum eſſe arbitramini? Iam à multis annis degener Abrahæ ſoboles exteris nuptijs talamos inquinauerat ſuos; Plenum aleę opus erat ab inuiterato moabitidum amplexu abducere, atq; sd pænitentiam reuocare. Quid ageret Eſdras? Eane vteretur poteſtate quam iudicandi plectendique ampliſſimam à Cyro acceperat? At effrænis Iſraelis licentia riſiſſet minarum tonitrua, & fulgura ſententiarum. Rationibus humanis., diuiniſque ſuaderet vt ille populus prophana connubia dirimeret, & ſcelera nuptiarum execraretur? At obtendiſſet ingenioſa luxuries plurimæ prolis orbitatem, quam à matribus auellere impium foret. Quid igitur expediuit Eſdras? hoc ſolum: orauit, fleuit, iacuit ante templum pronus in terram, atq; ita cauſam obtinuit, Vidiſſes ad Prophetæ lacrimas accurrere Tribus vniuerſas, omnes Ammonitiarum nuptias deteſtari, omnes connubiorum piacula ſuſpirijs abſtergere damnare omnes alienigenos talamos tanquam tumulos pietatis, & pheretra religionis. Quis enim

 in

in cęno ſtaret dum Eſdras iaceret in puluere? Quem non puderet complexum ſceleroſorum, cum Propheta etiam panis tęderet? Cui non grata pęnitentia vbi ſe ipſum excruciat criminum vindex?

Veſtram fidem libenter obteſtor ſapientiſſimi PP. An non diuturno experimento didiciſtis vobis ſubditas animas ad diuinarum legum reuerentiam plus exemplis prouocaſſe quam verbis? Quot orantibus vobis in gratiam numinis rediere? Quot flentibus vobis, lacrimarum imbribus ſcelera expirarunt, oculorum fluminibus improbitates abluerunt, & cordium durities in ſalutari dolore mollierunt? At hoc ipſum quam arduum, quam difficile, quam oneroſum eſt debere vos leges condere quibus populos ab omni vitio ad omnem honeſtatem incitetis, & condere non poſſe niſi moribus veſtris in ſubditorum animis imprimatis? Circumſpicite Circumſpicite quęſo Eccleſię Genuenſis formam omnem, & partes eius ſingulas, ordinumq; claſſes, ac dignitates animaduertite; Aetates, inſtituta, mores, familias, domos oculis obite, animis inſpicite diligenter; Quis quęſo corriget morum ſuorum licentiam, niſi modeſtia veſtra coerceat? Quis iactantiam, quis obſtentationem, quis elatam frontem deponet, quem humilitas veſtra non contineat in officio? Quis odia, iraſque temperabit, quas manſuetudo veſtra non placet, non comprimat, non extinguat? Quis inſanas turpium voluptatum illece-

bras

bras execrabitur, quem vitæ veſtræ innocentia non caſtiget? Primorum quidem capitum conſeſſum Eſdras vocauit, promulgauit edicta, iura indixit; ac vt auctoritatem legibus conciliaret ſuis, ſui ipſius præluxit exemplo.

At quid aliud in te intuamur, quam quod de Eſdra legimus Præſul Illuſtriſſime? Vbi Paſtorum Princeps hanc tibi Eccleſiam commendauit, Te ſtatim omnibus omnium virtutum exemplar exhibuiſti; Quam ante ſanctitatem fouebas in pectore, non ad oſtentationem ſed ad publicam vtilitatem dediſti ſpectandam; Vidimus te ſollicitè Ciuitatem obire; Sacris præcibus frequenter adeſſe: Paruulis celæſtis doctrinæ pabulum ſuppeditare, & panem frangere; indefeſſis laboribus Eccleſiaſticorum ſcientiam ſcrutari; Diſſitos populos per montium aſperitates inuiſere; luſtrare oculis omnium neceeſſitates. Teq; vt ita dicam in plures diuidere; Nec voluiſti vt ante tuas, tuæquæ Synodi leges populi ſentirent, quam tuis in moribus legerent exaratas. Tot inter tamen labores hoc tibi ſolamen non defuit, quod inueneris tui immitatores quam plures, vigiles Paſtores, ſalutiſq; animarum zelo præferuidos. Hoc præeunte ſanctitatis Præcone quid leges differentur?

Lux huius Diœceſis hactenus fuiſtis quotquot hic eſtis; ſal etiam nunc eſſe debetis. Enimuero quod olim Apoſtolis imperatum meminimus, vt Mun-

dum

dum luce perſonderent, ita tamen vt eius quoque putores ſalis acrimonia defricarent; Veſtrum etiam munus eſt PP. vigilantiſſimi: ſi enim alterum ab altero ſeiungatur, aut vlceribus hominum genus extabeſcet, aut putredine exedetur. Neq; peccantes mordēdi ſunt neq; ſcelus palpandum: Vtrumq; vitandum eſt, aut Cerberum eſſe qui latret, aut Tobiæ canem, qui blandiatur. At hinc quantum onus vobis incumbit? Sal opportunè condire non poteſt niſi tenuiſſimas frangatur in partes, niſi ſe ſe humanum in pabulum cautè, & moderate inſinuet, niſi liqueſcat, & pereat ad conuiuantium oblectamentum. Deus immortalis? Quam graue hoc ipſum eſt non poſſe fercula cæleſtibus menſis inferenda à vitiorum ſanie vindicari, niſi ſalis adinſtar vos feruor charitatis abſumat? An non ſapientia propè Diuina neceſſaria eſt ad ita humanarum cupiditatum coruptelam emendandam, quin vel vulnus præ nimia acrimonia exaſperetur; vel præ nimia lenitate recrudeſcat?

Attollite tamen animos æternæ ſalutis Propugnatores inuicti; Nullæ vos dificultates deterreant; Aderit vobis ſpiritus qui corda ſcrutatur, & renes, & ſi ſi mentes ab humanis affectionibus vacuas vt oportet, inuenerit, eas ſe ipſo liberaliter implebit.

Hic ſpiritus Deo vos, hic Deum vobis, hic vos vobis, hic ſingulos ſingulis, hic omnibus ſingulos, hic ſingulis omnes, hic omnes omnibus, tum nec-

ceſ-

ceſſitudine voluntatum, tum ſententiarum conſenſione, tam arctè, ſanctèq; coniunget, vt nihil veſtro mutuo conſenſu, nexuq; partium validus futurum ſit ad legum firmitatem, nihil ſuauius ad earum vtilitatem. Hic vos corroborabit aduerſus improbitatem, hic illuminabit contra poteſtatem tenebrarum, hic mentes, hic animos dabit ad ſapienter diſcutiendum, ad fortiter delliberandum.

Agite ergo viriliter; Morum reſtaurationem à vobis requirit vniuerſa Genuenſis Diœceſis; reparationem Diuini Cultus à vobis, tum templa, tum altaria enixè depoſcunt; omnis nequitiæ ſtragem à vobis eſpectat ordinis veſtra religio; virtutum omnium decora à vobis redintegranda ſperant bonorum omnium vota. Confirmate optimam de vobis omnibus omnium oppinionem, probate poſteris præclariſſimi huius conſeſſus ſapientiam, eludite mordaces criminatorum calumnias, illud denique efficite vt cognoſcant vniuerſi vobis vnicè cordi eſſe animarum ſalutem, & Diuinæ Gloriæ incrementum. Dicebam.

ORA-

ORATIO II.

Habita ſecunda die Synodi

A

HIERONYMO MERELLO

I.V.D. & Sancti Officij Genuæ Conſultore, Archipresbytero Rapalli.

ECcleſiam Domini (Illuſtriſſime Præſul, Patres Humaniſſimi) vineam ſcilicet electam ac dilectam, Chriſti plantatam paſſione, Apoſtolicis irrigatam ſudoribus, & Martyrum ſanguine purpuratam, animarum Cultores, quotquot hic adſumus, ſupremo ab Agricola Chriſto Ieſu ſuſcepimus excolendam. Lamentabatur olim Dominus degeneres huius vineę propagines: *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Iſa.* 5. Alibi etiam debaccantium per eam faſtidiens incurſus animalium clamitabat: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Cant. 2. Quin & aliàs omnimodam eiuſdem condolens deuaſtationem, Pſalmiſtà atteſtante ſuſpirabat: *Singularis ferus depaſtus eſt eam*. Pſal. 79. Quippè vineam hanc ſpecioſiſſimam, & graſſatores Tartarei depopulari non deſinunt, & pullulantium in dies corruptelarum vepres ſubindè

ſuffocant,

ſuffocant, & conculcant beſtiæ agri, peruerſi nempè homines, & abeuntes poſt concupiſcentias ſuas, iumentis inſipientibus iure meritò comparati. Quidni igitur Sacerdotes, Operarij in vineam conducti, & vineæ detrimenta ſentientes, eiuſdem reparationem, Patrefamilias imperante, meditentur, ſtatuant, exequantur? Et hęc quidem eſt omnium noſtrum hodierna conſpiratio: Tuis nimirum, Pręſul Illuſtriſſime, & Sapientiſſime, acciti vocibus, incitati monitis, attracti moribus humaniſsimis conuenimus ad Te noſtrarum Vindicem fortunarum, in Te vno virtutes omnes demirantes, Te vnum cunctarum Plebium columen proclamantes; Cuius latitudinem cordis, & mentis celſitudinem nequaquam deterreat, ſed exhilaret potiùs, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quid verò ad vineam Domini reparandam, augendam, perficiendam, ad populos (inquam) ſanctificandos opportunius, quàm vt Paſtores ſinguli, animarum Zelo inflammentur? Hunc ego Vobis ignem precor, Auditores: his exuri flammis, vt optemus, vt nitamur, vt ſatagamus, præſenti Oratione Auctor ſum.

Quem gregem dilectiſsimum Dominus acquiſiuit ſanguine ſuo, hunc diſceſſurus de hoc mundo ad Patrem, enixè commendans Apoſtolis aiebat: *Ite, docete omnes gentes*.[a] Et ad Petrum quidem ter continuò interrogatum, teſtatique amoris quaſi teſſeram poſtulans, *Paſce*, inquit, *oues meas*.[b] Quid hic

a Matth. 28.

b Io: 21.

hìc (rogo) Auditores, niſi maximam ſeruandarum aduertitis ſollicitudinem animarum ?

Et quid aliud ſitiuit in terris Cęlorum Rex in ſimilitudinem hominum factus, niſi humanas animas Orco eripere, in Cælum erigere ? Liceat, imò & libeat, ſuauiſsimam,quæ dudum apparuit Seruatoris noſtri benignitatem attentiùs contemplari. Luſtra ſex humi peregit Emmanuel Rex, & Legifer noſter, Cæleſtis Adam, factus quaſi vnus ex nobis. At quid tanto temporis interuallo expiſcatus eſt in mari hoc magno, & ſpatioſo ? Quid anhelauit ? Quid tibi cum hominibus, malis vtiquè, & indignis, Digniſſime Angelorum Monarcha ? An delicias quęris ? an opes ? an ſceptra ? Perinde quaſi ſceptris indigeat per quem Reges regnant, aut opibus careat in quo ſunt omnes theſauri, aut gaudia mendicet qui Cælum beat.

Ego in eius vitam diligenter inquirens, nullum profectò diem inuenio, nullam horam, ſed nec inſtans vnum ab eo feliciter tranſactum. Animo voluite, Auditores, quæcunque poſsidet humanum genus in terris bona, ſenſuum oblectamenta, animorum lenocinia; At Chriſtus ne micam quidem appetijt, nec guttulam delibauit vnquam, natus in ſtabulo, mortuus in patibulo: vt ad vltimam vſque horam veriùs ipſe, quàm Paulus cæterique Crucis Aſſeclę dicere potuerit: *Eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur.* [c] Quoniam quid-

c 1 Cor. 4.

quidquid eſt honoris, & commodorum penitùs ignorauit: & quidquid eſt laboris, & perſecutionum inceſſanter ſuſtinuit, quod ipſe ſibi per Prophetam iam antè præcinuerat, *In laboribus à iuuentute mea*. [d] O inauditam Chriſti in terris, & omnimodam rerum omnium delectabilium priuationem! O inopiam refocillationis cuiuslibet ſeueriſſimam! [d] Pſal. 87.

Qualem autem moriens diſcipulis hæreditatem reliquit? Num mundi principatum, quandoquidem ipſe erat Princeps Regum terrę? Num auri argentique fodinas? Num abundantiam frumenti, & vini? Num terram lacte, & melle manantem? Nonne potiùs pauperiem, & vincula, & carceres? En eius ad ſuos bonæ ſpei eloquia: *Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos*. [e] *In mundo preſſuram habebitis*. [f] Et, *ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*. [g] Ecquid aliud ſperarent, qui mundum vniuerſum nouâ fide imbuendum, Principibus & populis vndequaque obſiſtentibus, homines imbecilles & noui ſuſceperunt? Qui & re ipſa omnes ad vnum miserè deleti ſunt. Nihil ergo ex hominum bonis bonus Dominus appetijt, non ſibi, non ſuis. Verumtamen propter aliquid *venit in hunc mundum*: propter aliquid *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*. [h] Quid eſt hoc aliquid, quod eum de Cælo in terram attraxit? Quis tandiu hìc exulem detinuit? Nec exulem modò, ſed & laborantem, lugentem, languentem, & tandem crudeliſſimè [e] Luc. 10. [f] Ioann. 16. [g] Io. 15. [h] Baruc. 3.

 morien-

morientem? Eius vtique erga homines amor, eorumque ſeruandorum vehemens, & verè diuina cupido. Sed videamus vlterius, quid in hominibus amaret hic amor. Corporumne, an animarum bona? Certè non corporum; hæc enim deſpicienda, mortificanda, edomanda pręceperat: hæc cilicijs conueſtiri, inedijs extenuari, affligi laboribus voluit: Contrà hæc abnegationibus pugnandum, hęc tamquam peripſemata deteſtanda commonuit; quod quidem & in proprio ipſemet pręſtitit corpore (voluit enim priùs facere, quàm docere) & ſubinde etiam in chariſſimorum crudeli extinctione comprobauit. Ergo animarum commoda vnicè ſpectauit ſapientiſſimus humani generis Redemptor. Ità eſt, Auditores, hæc eum ſitis torquebat, hæc eſt quæ eius præcordia corrodebat fames, hęc omnium ipſius meta votorum: Animabus lucrandis *exinaniuit ſemet ipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* [i]

i Phil. 2.

Quare cum *circuiret per vicos & caſtella,* [l] cum immiſceret ſe *publicanis, & peccatoribus manducans cum illis,* [m] cum *in montes, & ſolitudinem ſecederet comitantibus turbis,* [n]: Animas quęrebat, animas venabatur, animas conuertere ſatagebat: omne gaudium exiſtimabat, cum in animas multas incideret conuertendas: & tunc epulabatur ſplendidè, cum vel Magdalenas in conuiuio, vel Samaritanas ad puteum lucrifaceret. Et vt verbo dicam:

l Marc. 6.
m Matt. 9. 11.
n Matt. 5.

Omne

Omne agentis in terrà Numinis negotium vna fuit conuerſio animarum; quaſi diceret: Faceſſite cuncta mundi deſiderabilia, opes ſuperbę, & gloria: omnia arbitror vt ſtercora, vt animas lucrifaciam. Nihil mihi in orbe terrarum pulchrum, nihil pretioſum, nihil amabile, pręter animas. O igitur animarum Cura excelſiſſima!

Audite hęc omnes Euangelici Sacerdotes, Voſque in primis gregis Domini Paſtores, audite, & intelligite: Si tantam Dei Filius pro animabus cæno educendis, & Cęlo inſerendis ſollicitudinem geſsit, ſi hoc vnicè ſemper adamauit, ſi propter hoc aſperrima quęque perpeſſus eſt; An non ego ſolemni in hoc cętu Paſtores omnes, animarum zelo, iure optimo dixerim inflammandos? En muneris noſtri partem optimam, en Sacerdotij noſtri decus ſummum: Ad hoc Parochum profitemur, vt populos ſanctificemus: ad hoc Chriſti vices gerimus, vt Chriſti genium, & ſtudia imitantes, ſicut ille vnam anhelabat ſalutem animarum, ſic & nos in idipſum ardentiſsimè incumbamus.

In quo quidem munere nobis diuinitùs collato eſt quod ſummam Dei in nos benignitatem obſtupeſcamus, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, & vocauit nos vocatione ſuà ſanctà, vt eſſemus miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, & Dei adiutores, adimplentes ea, quę deſunt Redemptioni Chriſti in proximorum ſa-

lute promouenda. Nihil enim (ſi diligenter attendimus) nobilius, nihil ſanctius, quam impios ad Deum conuertere, & docere iniquos vias rectas, adeo vt nec Deus ipſe ampliorem homini honorem conferre poſſe videatur: quod egregiè nos docet Ricchardus Victorinus his verbis: *Neſcio ſi poteſt homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere. Ignoro an poſſit hac gratia maiorem interim aliquam Deus homini conferre, quam vt eius miniſterio peruerſi homines, in melius mutentur, vtque de filijs Diaboli filij Dei efficiantur.* [n] Verum quod tanti honoris eſt, non minoris eſt oneris. Olim Chryſoſtomus genitores alloquens, filiorumque gerendam ſollicitudinem inſinuans, ſic effatus eſt: *Magnum habemus, pretioſumque depoſitum filios, ingenti illos ſeruemus cura.* [o] Cuius quidem moniti vim ad Nos planè pertinere quis non videat? Etenim quos in Paræcijs quique noſtris moderandos accepimus homines, horum indubiè Pater eſt Deus, nec Pater ſolum, ſed & Mater, vt loquitur Vgo Cardinalis: *Eſt enim* (inquit) *Deus, Pater creando ſine labore; Nam dixit, & facta ſunt: Mater eſt in redimendo cum difficultate & labore; in Cruce enim nos cum anſietate parturiuit.* Hos porro filios ſuos chariſſimos, in lucem editos per creationem, ſed quos in Cruce iterum parturijt; ſanguine lactandos ſuo, nec vulgari cibo, ſed proprijs carnibus nutriendos (vſque adeò in illorum ſe ſe effudit amorem),

n Part. 1. de Ben. cap. 44.

o Chryſ. hom. 9. in Epiſt. ad Tit. cap. 3.

nobis tradidit educandos, noſque quaſi patres, imò & matres, loco ſui, miſericorditer deſignauit. O magnum, ò pretioſum depoſitum! Si enim, vt alibi ratiocinatur idem Chryſoſtomus, *Nullius rei pretium eſt cum anima conferendum, nè totus quidem mundus*; p Si vna anima tanti valet; centenæ animæ, ducentenę, millenę quanti erunt? Quæ cum ità ſint; Quis vnquam Paſtorale munus tam ſedulà obeat diligentià, tantàque exerceat charitate, vt onus hocce Angelicis humeris verè formidandum pro dignitate ſuſtinuiſſe cenſendus ſit?

p Hom. 3. in 3. ad Cor.

Paſtorem vobis fingite, vnum ex nobis, in extremis agentem; quantà hunc putatis ſeueriſſimo àb Iudice ſuper commiſſi gregis cuſtodia, ſeueritate iudicandum? Equidem ſi proferam ipſe quod ſentio; non pro ſe tantum, ſed pro ſingulis ſibi concreditis animabus diſtrictè iudicabitur; Audio enim Chryſoſtomum huiuſmodi ſic minitantem: *Omnium quos regis virorum, & mulierum, & puerorum à te reddenda eſt ratio: Tanto igni caput tuum ſubijcis*. * Agedum, inſtabit Iudex, dati & accepti rationes ineamus, mi homo. Tot animas accepiſti colendas (hìc diſtinctiſsimè ipſarum numerum proferet, indolem, munia, cultùs exigentiam, docendi opportunitatem), tot annos vineam meam occupaſti, tot menſes, tot dies, tot horas. Vbi nam ſunt tercenti vxorati, quos decem annorum curriculo matrimonio copulaſti? Vbi quinque millia pænitentium,

* Hom. 34. in Epiſt. ad Hæbr.

tium, quos ſacramentali confeſsione expiaſti? Vbi ſeptingentæ Virgunculæ, quas in cęleſtis amorem ſponſi inflammare debueras? Vbi innumera puerorum, puellarumque turba innocentium, quos Chriſtianæ fidei rudimenta docere omninò oportuerat, & quorum cereos animos in virtutem flectere fuerat per accommodum? Vbi nongenti infirmi, quibus extremo in agone, non Sacramentorum modò pabulo, ſed orationum armis, ſed conſilio, ſed eleemoſinis etiam, atque omni commiſerationis genere, quaſi Angelus de Cælo confortans eos, adeſſe tenebaris? Tu quid ad hæc?

Sanè Parochorum quempiam, quantumuis probum de hoc exilio ad Cæleſte Regnum ſolum aduentare nefas eſt, ſed magnà circundatum cateruà ſeruatorum, magnos educentem animarum greges inferorum faucibus ereptarum prædicatione, exemplis, hoſtijs, & precibus, & improbo labore diu noctuque tolerato. Erit fortaſſe, qui decem, qui viginti, aut vigintiquinque, ſuis induſtriâ & ſudoribus acquiſitas oſtendat animas. *Sed quid hæc ſunt inter tantos*, vrgebit Iudex indignabundus? Ex tam multis tam paucas reſtituis? Denas ex quingentenis? At vbi cæteræ? Hic enimuerò de animabus agitur, non de bobus, de quibus nulla cura eſt Deo. Memento, quid ouibus meis ipſe liquidò, & ſpontè ſpoponderim, cum dixi: *Capillus de capite veſtro*
p Luc. 21. *non peribit*. p Quomodo ergò, qui ſuperflua capitis

pitis me iuraui curaturum, caput ipſum, imo capitum pleraque non requiram? Seu à quo potiùs requiram, quàm à Paſtore? Ecquis oues curaret, niſi Paſtor?

Hic ego Vos grauiſſimè (ſed & humillimè, vt omninò par eſt) vos, inquam, alloquor Auditores, & cum Apoſtolorum Principe *veſtram excito in commonitione ſinceram mentem*.[q] Tota, quanta eſt Chriſtiana Reſpublica in terris, non ne in manibus Parochorum eſt? Non ne tota fidei innititur Parochorum? Vnas excipite cum viris clauſtralibus Moniales, nemo quiſquam de filijs Eccleſiæ gentium vſquam agit, qui de Parochiæ alicuius gremio non exiſtat. O Parochorum onus grauiſſimum! Portant Orbem Chriſtianum Parochi; quis non fatiſcat? Heù quàm verè dixiſti Chryſoſtome: *Miror, ſi fieri poteſt, vt aliquis ex Rectoribus ſit ſaluus*.[r] Quàm verè D. Vincentius pronunciauit: *Numquam animarum Curatores cum gaudio viuerent, ſi tantum onus, quod ſupra ſe portant, verè cogitarent*.[ſ]

Agite nunc, Patres Humaniſſimi, quid in die Iudicij ad ſalutem nobis aſſerendam nos, qui Rectores fuimus, faciemus? Singuli aderunt Paſtores, quotquot à Chriſti obitu Eccleſias adminiſtrauerint; ſuas quiſque ducet oues ſibi creditas, & auerni ab igne liberatas. *Ibi vnuſquiſque* (vt D. Gregorij verbis vtar,[t]) *quid operatus ſit, oſtendet. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, ap-*

q 1. Petr. 3.1.

r Hom. 34. cit.

ſ Serm. 7. Dom. 2. poſt Paſ.

t Hom. 17. in Euang.

parebit. Ibi Paulus conuerſum, vt ità dicam, mundum ducens: Ibi Andreas poſt ſe Achaiam: Ibi Ioannes Aſiam, & Thomas Indiam in conſpectu ſui Iudicis ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt. Cum igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis ante æterni Paſtoris oculos venerint; NOS MISERI QVID DICTVRI SVMVS, qui ad Deum noſtrum poſt negotium vacui redimus: qui Paſtorum nomen habuimus; & oues, quas ex nutrimento noſtro debebamus oſtendere, non habemus? E quidem nullam aliam euadendi viam inuenio, niſi vt in præſentiarum magno zelo inardeſcere ſtudeamus, omnemque (vt aiunt) lapidem moueamus, vt gregem quiſque noſtrum in ſanctitate & iuſtitià dirigamus, & per ſummos pietatis conatus enitamur conſtantiſſimè *parare Domino plebem*
u Luc 1. *perfectam.* [u]

Quamquam quid moror, aut vbi hæreo, vt Auditores meos Religioſiſſimos ad ignitam excitem charitatem? Sileant adducta hactenus argumenta quęcunque, ſit ad inſtar omnium quod iam ſubdo pluſquam Achilleum inſuperabile telum. Dicamus
x 2.Cor. 5. peruelim cum Paulo: *Charitas Chriſti vrget nos.* [x]
Mentis oculos conijcite ſuperfaciem vniuerſę terræ, videte Chriſti ouiculas vbique locorum poſitas, imo totum contemplamini genus humanum, creatum

illud

illud quidem à Deo in laudem, & gloriam nominis ſui; *Neque enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium, & nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.* [z] Quin potius *odio ſunt Deo Impius, & Impietas* z Eccl.
eius. [a] Commendat autem omni humanæ Creatu- 15.22. a Sap. 4.
ræ: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli* 9.
ſeruies. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota animà tuà, & ex totà fortitudi-
ne tuà: [b] *Vniuerſa enim propter ſemet ipſum ope-* b Deut.
ratus eſt Dominus. [c] Sed heù, quàm parum amatur, 6. 13. c Prou.
quam parum laudatur *Magnus Dominus, & lau-* 16. 4.
dabilis nimis? Quam parum glorificatur, & exaltatur aliàs *glorioſus, & ſuper exaltatus in ſecula?* Nam ex omnibus terræ incolis quantilla pars Deum colit? Et ex omnibus Chriſtianis quota portio Chriſtum Chriſtianè glorificat? Heù infælix hominum genus! heu mortales miſeri! heu inſipientes filij Adam! Quanta vbique cæcitas! quanta vitiorum caligo! quantus diuinarum rerum deſpectus? quantus legum contemptus? Quanta *concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ?*
[d] Vno verbo, Quot, & quanta vbique peccata, *ho-* d 1. Io. 2.
micidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa 16.
teſtimonia, blaſphemiæ. [e] *Contentiones, æmulatio-* e Matth.
nes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſur- 15. 19.
rationes, inflationes, ſeditiones? [f] Et tamen tanta f 2. Cor.
eſt peccati lues, & Diuinæ Maieſtatis honor tanti 12. 20.
æſtimandus eſt, vt ſi vel vnum dumtaxat peccatum

committendum eſſet in mundo ab homine vno vnicà tantum vice; foret autem in hominis cuiuſpiam ignoti poteſtate illud impedire magno aliquo conatu adhibito; certatim omnes, & ſinguli ruere deberent per tela per ignes per mille pericula necis, ſi cui forte contingeret optatiſſima ſors peccatum huiuſmodi auertendi, eamque Numinis offenſam amoliendi: Et proquà quidem amolienda operę pretium foret cumulatiſſimum, tantorum, imo cunctorum fortunas vitamque profundere; Digniſſimus quippe eſt Deus noſter, pro cuius honore vniuerſa eius creatura ſe ipſam potiùs deſtruat, quàm vel ab vno eiuſdem Maieſtas commiſſo crimine inhonoretur. Interea tamen (heù! heù! *Quis dabit capiti meo*
f Ierem. 9. 1. *aquam, & oculis meis fontem lacrimarum!*)[f] innumera perpetrantur vbique facinora, peccatur, & paſſim peccatur, & grauiſſimè peccatur, non à Turçis modò, vel ab Atheis, ſed inter Chriſtianos à Chri-
g Iſa. 57. ſtianis, à Sacerdotibus; *& non eſt qui recogitet.*[g] aut ſaltem pauciſſimi recogitant, ijque perfrigidè.

Vera ne loquor, Auditores, an ſomnia narro? Et nos torpemus? Et zelo non zelamur pro Domino Deo exercituum? nec commiſſi nobis gregis nos cura ſollicitat? Si videremus puerum ruere in ignes, accureremus, omnique conatu extraheremus; videmus animas ruentes in ignem æternum, in incendia gehennæ; & vix pedem mouemus, vt eripiamus? Si videremus amentem ad pręcipitium properare, pręruptos ad ſcopulos ſtatim allidendum; ma-

nu

nu ſiſteremus, & omni niſu detineremus; videmus fratres noſtros, filios noſtros (quidni enim dicantur filij, quorum patres conſtituti ſumus?) ſuper puteum abyſſi iam iam imminere ruituros; nec auolamus, vt pręſentiſſimum amoueamus periculum? Si videremus ebrium catabulo frementium belluarum inſcium ſe ſe includentem, miſereremur, concitoque concurſu horrendo ab ergaſtulo ſollicitè educeremus; videmus errantes à vino fœdę voluptatis innumeros è noſtris? Auernali ſe ſe per iocum carceri mancipantes; & eos dimittimus in deuia quæque deſcendere, in cubilibus draconum infernalium miſerrimè laniandos! Apage nocentiſſimum ſcelus, teterrima apage negligentia. Quid moramur? Iam ferueat ignita Charitas, iam erumpant incendia zeli.

Tu verò flagrantiſſime Laurenti, cuius in templo de totius Diœceſeos incolumitate deliberamus, cor noſtrum *flammis adure congruis*: Tu Sanctiſſime Præcurſor, zelotes feruentiſſime, præi nos ad hauriendam, & poſtmodum ad dandam ſcientiam ſalutis plebi noſtræ. At tu Syre Inclite, Succeſſorem tuum, Antiſtitem Noſtrum Sapientiſsimum, heroica virtutum tuarum calcantem veſtigia noſtræ, Propugnatorem Fęlicitatis, Religionis Inſtauratorem, & verè Patrem Patrię, Nobis, & vniuerſo gregi incolumem pro Ianuenſis Eccleſię commodo, atque ornamento precibus tuis quam diutiſſimè conſerua.

ORA-

ORATIO III.

Habita die 8. Maij 1683. in tertia ſeſſione.

A REVERENDO D.

IOANNE ANTONIO QVAQVARO

Ianuenſi Sacræ Thæologiæ Doctore.

ORaturus, Ampliſſime Prçſul, P. P. ornatiſſimi, romanç eloquentiæ Princeps coram Iulio Cçſare pro Rege Deiotaro, faſſus eſt ſe tunc initio dicendi plùs commoueri, quam ſoleret, & huius inſolitæ commotionis, & perturbationis quatuor attulit cauſas; quia videlicet dicturus erat pro Regis vita, quia pro expianda immaniſſimi criminis impoſita macula, quia coram Imperatore, quia in Imperatorio cubiculo: Ego hodie verba facturus, has, & aliam habeo; vnde mirandum non eſt, ſi totis viribus contremiſco; ſum enim dicturus de regali Sacerdotio, quo non eſt ſublimior in terris dignitas, de conuiciis, quibus calumniatur Sacerdotum vita, dicturus in hoc Illuſtriſſimo, & Reuerendiſs. conſeſſu, in quo ſub ſapientiſſimo, & vigilantiſſimo Antiſtite, Sanctitate, Sapientia, & vigilantia ſuà omnium corda, & mentes in obſequium religionis mancipante, vobis congregatis in vnum Genuenſis Ec-

clesiæ

cleſiæ maieſtas colitur, & diuini numinis præſentia adoratur; in hoc auguſtiſſimo Templo, tot Sanctorum reliquijs, & cineribus coruſcante, ego indoctus in litteris, dicendi inexpertus; quarè meritò timens loquor, cum & magnitudo negotij, Auditorum, & loci venerabilitas, & ingenij tenuitas tot timoris prębeant argumenta: Attamen confirmatus exemplo Ambroſij, qui in ſimili, licet ſanctiſſimus, & eloquentiſſimus timuit; fidens pietati, & humanitati veſtræ, qua libenter de ſacris loquentem auditis, & imbecillitatem aliorum ſuſtinetis, fidens magis diuinæ bonitati, & ſapientiæ, quæ *linguas etiam infantium facit eſſe diſertas*, verbis eiuſdem Ambroſij, vos rogo: *Audite me ſtirps leuitica germen Sacerdotale, propago ſanctificata, Duces, & Rectores gregis Chriſti, audite me rogantem vos pariter, & timentem*: Hæc ille ad Sacerdotes Mediolanenſes, eadem ego ad Genuenſes: Audite me, & prò humanitate veſtra audite, vt poſtea vos, qui ſeſſuri eſtis Iudices cum Chriſto, judicare etiam poſſitis, vtrum verum ſit, quod intendo, nempè Paſtores, & Sacerdotes nouę legis eſſe columnam ignis, qua ſicut Deus olim præcedebat populum ſuum ducens per deſertum, ità nunc Chriſtianum populum per huius vitæ diſcrimina manu ducit ad ſalutem.

Sap. 10.
Amb. lib. 1. de dig. Sacerdot.

Sacerdotes columnas eſſe præcurrentes, & populis à Deo erectas, vt illis præſint, & fulgeant, non eſt qui dubitet, ſi oculum admouere, & mentem

diri-

dirrigere velit ad ea, quæ prò eorum decore, & gloria ab altiſsimo conſtituta ſunt. Animaduertite, ſi placet, quantam de ipſis ſolicitudinem Deus ſemper habuerit: Colligite quomodo ſegregentur à populo, & ſuper alios conſtituantur; num. primo dum di-

Exor. 28. ctum eſt Moy.: *Filios Leui noli numerare, ſed conſtitue eos ſuper tabernacula*; quomodo glorioſis veſtibus induantur: *Faciesq; veſtem Sanctam Faron fratri tuo in gloriam, & decorem*: quomodo

Luc. 21. interdicatur eis capitis apertio: *Caput ſuum non diſcooperiet*: Quomodo eis, tanquam Regibus tri-

Num. 18. buta præcipiantur: *Filijs Leui dedi omnes decimas Iſraelis pro miniſterio quo ſeruiunt mihi in tabernaculo*, & ſexcenta alia, quibus Deus, & earum aurit dignitatem, & gloriam curauit. Ex his omnibus pleniſsimè conſtabit eos eſſe columnas populis præfulgentes.

Quòd ſi hoc verum eſt; quinam debent eſſe Sacerdotum mores? quæ vita? certè quę ſplendeat, quæ illuminet, quæ dirrigat, ſplendeat in opere, illuminet, & dirrigat verbo; Enimuerò, ſi hoc ità non eſſet; quid deplorabilius cerni poſſet, quam videre ducem populi ſequentem veſtigia errantium cæcarum! Quid fędidis, quam glorioſam veſtem ſatiſsimis maculis ſordidatam! Quid indigniùs, quam Sacerdotale caput deteſtabilium vitiorum Idolis non modo apertum, ſed et inclinatum! Quid denique magis execrandum, quam decimas excutere,

& in-

& interim Aras, & Tabernacula deſerere, & violare! Sacerdotes: non eſtis à Deo conſtituti, vt inſipientium more viuatis; ſed vt moribus veſtris optimis inſipientiam aliorum condiatis. Nonne vobis dictum eſt: *Vos eſtis lux mundi*? Nonne vobis, Mat. 5.
Vos eſtis ſal terræ? Nonne *Dij eſtis*? *& filij ex-* Pſal. 81.
celſi omnes? Nonne quotidiè ſacris indumentis Chri- & Ioan. 10.
ſtum induitis? *Quæ igitur ſocietas luci ad tenebras*? 2. Cor. 6.
Chriſti ad Belial? Ad quid ſal infatuatum? Si Chriſti eſtis, quæ ad Chriſtum pertinent, quærere debetis, non veſtra, quę ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram.

Hanc eandem, quam vobis innuo rationem ſanctitatis conditioni veſtræ congruentem, Deus proprio ore indixit antiquis Sacerdotibus, Leu. 21. vbi ait: *Incenſum, & panem Dei ſui offerunt, & ideò Sancti erunt*: Quinam fuerit panis ille, quem offerebant ſub Moſayca lege Sacerdotes, vos optimè ſcitis; cum eo, quem nos offerimus, in hoc tantum conueniebat, in quo conuenit imago cum re, vmbra cum corpore, ſiquidem ille erat tantum panis, & prę cæteris hoc ſolum habebat, quod compactus ex puriori farinæ ſimila, ante conſpectum Domini ſuper altare proponebatur; Noſter verò panis non eſt, licet panis videatur in ſpeciebus, licet nutriat, licet inſtauret; ſed ille idem Chriſtus, qui hunc panem inſtituit, ſed ille idem Deus, cui offertur; hunc hunc nos quotidiè ſuper altare obedientem voci noſtræ, de cælis in manus noſtras trahimus: Hunc manibus

noſtris pro libito noſtro tractamus, hoc veſcimur, hoc impinguamur; itaque ò Sacerdotes omnes audi-
1. Cor. 10. te, quid de hoc dicat Paulus, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguines Chriſti eſt?* Et *panis, quem frangimus*, nonne participatio corporis Domini eſt? Ergo, ſi conſecrationis calice, & cibo participamus, ſacri debent eſſe mentis noſtræ ſenſus, ſacri affectus animi ſacra opera; non enim, vt infert ex eodem antecedente
Ibid. idem Paulus, *Poſſumus bibere calicem Domini, & calicem Dæmoniorum, eſſe participes menſæ Domini, & menſæ Dæmoniorum.*

Sed abſit hæc de vobis cogitare; hiſce ſtimulis nolo vos à malis, quæ in vobis non timeo retrahere: Alij ſunt à vobis, de quibus Apoſtolus conqueritur
2. Cor. 6. per quorum mores à ſacris degeneres *Miniſterium noſtrum*, aliòquin ſanctiſſimum *vituperatur*, alij per quorum indignam conuerſationem, & vitam,
Rom. 2. *nomen Domini blaſphematur*; imò potius volo vos acriter concitare ad eam ſanctitatem augendam, ad quam maxima Sacerdotij dignitas veſtra vos prouocat, plebs Chriſtiana, cui facti eſtis norma viuendi expectat, Deus ipſe, cuius Filij vices geritis, qui diuinam ſanctitatem metã ſanctitatis noſtrę prefixit dũ
Leu. 11. dixit: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, à vobis exigit: hanc volo vos deſiderare, hanc aſſequi, ad hanc vos Dominus inuitat, dum ad Sacerdotium aſſumptos vna cum Petro, Iacobo, & Ioanne, ad montem ducit, hoc eſt ad ſanctitatem excelſam; ad hanc S.S. P.P.,

& verbo, & exemplo vos excitant: Audite Ambroſium ad treneum ſic ſcribentem: *Sobriam à turbis grauitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vindicat Sacerdotalis*: Audite Chriſoſtomum; Etenim Sacerdotis animum oportet ſolaribus radijs eſſe puriorem: Audite Laurentium Iuſtinianum: *Accedat Sacerdos ad altarius tribunal, vt Chriſtus, aſſiſtat vt Angelus, miniſtret vt ſanctus*: Et cur ſingulos recenſeo! Omnes vno ore dignitati noſtræ ſublimi virtutem expoſcunt non vulgarem; muneri noſtro penè diuino Angelicos exigunt mores, vt adimpleri poſſit, quod dictum eſt à Domino Iſaiæ, & in ipſo Sacerdotibus: *Ecce dedi te in lucem gentium*, hoc eſt in exemplum ſanctitatis; pro vt verè admonet Paulus Timotheum, *Te ipſum præbe exemplum bonorum operum*; hoc enim eſt eſſe veram columnam ignis, quæ radijs ſuis viam ſalutis demonſtrat ambulantibus in tenebris, & vmbra mortis.

Lib. 4 de Sacerd.

Iſaiæ 49.

Verum, ne credatis auditores, ſatis eſſe columnæ noſtræ, quòd ardeat virtutibus, quòd luceat opere; ſed etiam requiritur, quòd illuſtret, & illuminet verbo.

Natura noſtra antiqui ſerpentis aſtutià ſpoliata gratuitis donis, & venenoſo dente vulnerata in naturalibus, ægra ſemper, & imbecillis fuit ad ea, quæ ad ſalutem ſuam, & ad honorem Dei pertinent; vix enim initio mundi ceperat humana propago, vt ſimul etiam germinauerint vitia, fratricidia occiſiones

omnes, luxuriæ, Rapinæ Idololatria; Omnis quippè caro corrupta via, qua itur ad Deum impræceps ruebat; Alij enim ſydera, alij ſerpentes, & beſtias, alij immunda quæq; prodijs habebant, alij Dæmonia ipſa venerabantur, quibus filios ſuos, & filias immolabant; quarè neceſſarium fuit, vt quacunq; ætate diuina prouidentia columnam aliquam igneã præmitteret, quę humanam cęcitatem illuſtraret, & prauas hominum vias dirigeret in ſalutem; propterea aliquando miſit Angelos, qui diuina nunciarent, aliquando Prophetas, qui Deum prædicarent, poſtremò apparuit Verbum diuinum carne noſtra abreuiatum, humanitate, & benignitate ſua erudiens nos; nempè lux illa ineceſſibilis, & vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hęc radios veritatis ſuæ vndequaquè ità diffudit; vt non fuerit qui ſe abſcondere potuerit à calore eius, imò optimus Paterfamilias, & Dominus vineę amantiſſimus ſingulis horis operarios vocauit, & miſſit in vineam ſuam, vt vepribus denudatam, ſemine virtutum fęcundarent; hoc tamen totum ſufficiens non fuit, vt vitia funditus extirparentur, & ruentem in malum multitudinem lex diuina contineret; noſtris adhuc temporibus, poſt prędicationem Chriſti, poſt diſſeminatum Euangelium, poſt deſſignatas innumerabilium Martyrum ſanguine ſemitas ſalutis, adhùc verum eſt, quod vnuſquiſq; in viam ſuam declinat. Vos ipſos teſtes appello auditores, qui conſcientiarum notitiam habetis; Vos qui vineę

Domi-

Domini cultores eſtis, dicite, ſi vinea iſta vuas producit an labruſcas, flores an ſpinas: dicite ſerpentia in populis odia, feruentes contentiones, & rixas; dicite furta, & iniuſtitias; dicite ſacrilegia, Eccleſiarum irreuerentium, & immodeſtiam, Sacramentorum contemptum, Myſteriorum fidei ignorantiam, omnimodam penè Dei, & animę obliuionem; his itaq; ſic ſtantibus, Paſtores ſilebunt? ergone ſiccis oculis naufragium noſtrorum ſpectabimus? manibus implicatis ruinam animarum permittemus? Mundus totus vitiorum ardet incendio, & nos Neronem imitantes otioſi cantabimus? Proh impietas! proh crudelitas! Sacerdotes: Paſtores: vobis commiſſus eſt grex Chriſti, vobis vinea Eccleſię colenda tradita eſt, vobis potiſsime mandauit Deus de proximo veſtro; propterea columnas vos fecit, vt in alto poſiti ſpeculatores, & monitores eſſetis; propterea radijs illuſtrauit, vt alios dirigeretis: nec mentior: Audite verbum Domini, quod vobis loquutus eſt per Ezechielem 33. *Et tu fili hominis ecce dedite ſpeculatorem domui Iſrael, audiens ergo ſermonem ex ore meo annunciabis eis ex me*, annunciabis & quidem docendo, annunciabis monendo, arguendo, increpando; hęc namq; eſt ratio, quarè Deus in tanto honore vos poſuit; vt videlicet populos cęleſtibus monitis confirmetis, vt oues vobis creditas pabulo diuini verbi nutriatis; Quotquot ex populo (non dico culpa veſtra, qui veri Paſtores eſtis, ſed aliorum, qui mercenarij ſunt, non Paſtores) quot dico pe-

reunt

reunt fame, non habentes aliquem, qui frangat eis panem? quot ignorantes viam ſalutis, ingrediuntur viam perditionis? quot neſcientes ea, quę neceſſaria ſunt ad iuſtificationem vel ſacrilegè, vel inualidè confitentur, perſeuerant in crimine, ſcelera augent, & denique in iniquitate ſua moriuntur. Sanguinem eorum, dicite, de manu cuius requiret Dominus? certè de manu ſpeculatoris, de manu Sacerdotis. Comminatus eſt hoc Deus per eundem Ezechielem: *Si me dicente ad impium morte morieris, non fueris loquutus, vt ſe cuſtodiat à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur ſanguinem autem eius de manu tua requiram*; & benè ſanguinem; Ille enim ſanguinis, & vitę reus eſt, qui alimenta, quę debebat proximo ſuo, ſubtraxit, adeò igitur neceſſaria eſt verbi Dei diſſeminatio, vt populorum ſalus, & Sacerdotis ab ea pendeat.

Ibidem.

Hæc tam aſpera, & tremenda comminatio Paſtoribus etiam Sanctiſſimis maximum incuſſit timorem: Mediolanenſium Antiſtes, & doctor hęc audiens tremulis verbis exclamat, *veh iam mihi ſi tacuero, ſi ſuſceptum theſaurum in terra deffoſſum, hoc eſt in meo corde occuluero, & lucernam diuini verbi compreſſam ſub modio retentauero, & non ſuper candelabrum propoſitam, cunctorum oculis manifeſtauero*. Hipponenſis Epiſcopus, & doctrinæ monſtrum Auguſtinus ſecuritatem à periculo ſibi etiam quęrit, nec alia illi occurit, quam prędicatio diuini Verbi; ſic namq; habet ſermone 3. de verbis

Domi-

Domini: *Tota ratio, quæ nos ſecuros faciet erit; tu ſcis Domine quia clamaui, ſcis quia non tacui, ſcis quoanimo dixi*. Conſtantinopolitanus ſacer Demoſtenes lib. 4. de Sacerdot., ità concludit: *Quapropter ingens adhiberi ſtudium oportet, vt Chriſti ſermo in nobis largiter inhabitet*. Si igitur Chryſoſtomus hoc neceſſarium iudicat, ſi Auguſtinus nullum eſſe ſecuritatis locum à Supremi Iudicis ira, niſi in prædicatione diuini verbi, ſi Ambroſius veh ſibi denunciat, niſi verbum Dei in aures fidelium diſtribuat; quis Sacerdotum contemnet? quis ſecurum ſe faciet? quis impunis euadet ſi tacuerit? certè nullus niſi temerarius, vel mentis inops; non enim magis Eccleſię Dei cura Ambroſio, Auguſtino Chryſoſtomo à Deo commiſſa eſt; quam Sacerdotibus alijs, non enim magis tunc Deus Eccleſiam diligebat, quam nunc; ſed vt ſponſam nunquam deſeruit, ſemper coluit, vno verbo dicam: qui de alimentis ad vitam mortalem omnibus prouidet, nemini vult deeſſe neceſſaria ſalutis æternæ; propterea Paſtoribus dicit *euntes docete omnes gentes*. Math. 28

Vobis igitur ò Sacerdotes, qui hùc conueniſti, vt ea, quæ ad vtilitatem animarum ſunt decerneretis, verba hęc Redemptoris diriguntur: *luceat lux* Math. 5. *veſtra coram hominibus*: luceat, quia columnæ igneę eſtis, à Deo conſtitutæ duces peregrinationis noſtræ, cinoſuræ mortalibus in hoc ſæculi pelago nauigantibus; ideoq; lucere debetis, lucère Doctrina, & Sanctitate Doctrina quidem nunc in hoc am-

pliſſimo

pliſſimo Conuentu ſalutaribus decretis deliberando
ea, quę ad Dei gloriam, ad animarum ſalutem, &
Eccleſiæ ſplendorem ducitis pertinere; ſanctitate
etiam, vos ipſos, & alios docendo; ſcilicet poſt re-
ditum ad veſtras Eccleſias, ea quæ ſanxiſtis, per vos
ipſos exequendo; ne locum habeat contrà vos re-
prehenſio Pauli ad Romanos 2. *Qui alium doces, tè*
ipſum non doces; vndè poſtea etiam conſequens ſit;
Luc. 11. quod ſummè cauendum eſt, *ne lumen, quod in no-*
bis eſt tenebræ ſint, & ſic non columnę ardentes, ſed
fumigantes titiones reputemur; nec minùs eueniat
id, quod veretur Gregorius in pænam Sacerdotum
Lib. 11. in c. 12. Iob. malè viuentium; *Vt iuſto Dei omnipotentis iudicio,*
iam in bono nec linguam habeat, qui habere bonam
vitam recuſat, ſed potius contingat id vobis, quod
Bernardus Paſtoribus congregatis in Synodo opta-
bat; ſcilicet quod *Sermo Dei in ore Sacerdotis ſit*
penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad
intima cordis audientium; quod vt ſequatur, hoc
illis tribuit conſilium: *Conſonet vita verbis, &*
ſtatim erit in ore veſtro viuus, & efficax ſermo
Dei.

Quæ cum iam in vobis ſint, & multo magis ex-
pectem futura ſpero quod Ioannes promittit Epiſ-
copo Philadelphiæ, qui verbum Dei ſeruauit, vos
Apoc. 3. omnes fore *Columnas in Templo Dei* lucentes inter
Sydera in perpetuas æternitates.

DIXI.

INDEX CAPITVM

PARS PRIMA.

DE Profeſſione fidei. Cap. 1. pag. 7.
De Sacra Scriptura, eiuſque abuſu. C. 2. p. 8.
De Præbenda Theologali. Cap. 3. Ibidem
De doctrina Chriſtiana. Cap. 4. Ibidem
De Sacramentis in genere. Cap. 5. p. 9.
De Baptiſmo. Cap. 6. p. 10.
De Confirmatione. Cap. 7. p. 11.
De Euchariſtiæ auguſtiſſimo Sacramento, eiuſque adminiſtratione. Cap. 8. Ibidem
De Miſſæ Sacrificio. Cap. 9. p. 13.
De Pænitentiæ Sacramento. Cap. 10. p. 15.
De Caſibus Reſeruatis. Cap. 11. p. 16.
De Indulgentijs. Cap. 12. Ibidem
De Sacramento Ordinis. Cap. 13. Ibidem
De Exorciſmis. Cap. 14. p. 18.
De Matrimonio. Cap. 15. Ibidem

PARS SECVNDA.

DE horis Canonicis, & diſciplina ch. C. 1. p. 21.
De feſtorum obſeruantia. Cap. 2. Ibidem
De Proceſſionibus. Cap. 3. pag. 22.
De Reliquijs, Veneratione Sanctorum, & Imaginibus. Cap. 4. Ibidem

De Miraculis. Cap. 5. p. 24.
De Blaſphemia. Cap. 6. *Ibidem*
De Hæreticis. Cap. 7. p. 25.
De Veneficijs, & magicis artibus. Cap. 8. p. 26.

PARS TERTIA.

De *Vicarijs foraneis. Cap. 1.* *Ibidem*
De Parochis. Cap. 2. pag. 27.
De Vita, & honeſtate Clericorum. Cap. 3. p. 29.
De *Regularibus, & exemptis. Cap. 4.* p. 30.
De *Monialibus. Cap. 5.* p. 32.
De *Queſtoribus. Cap. 6.* p. 34.
De *fabricis Eccleſiarum. Cap. 7.* *Ibidem*
De *Archiuio. Cap. 8.* p. 35.
De *bonis Eccleſiaſticis. Cap. 9.* *Ibidem*
De *beneficijs, eorumque collatione. Cap. 10.* p. 36.
De *Exequijs. Cap. 11.* *Ibidem*
De *Pœnis. Cap. 12.* p. 37.
Petitiones aliquæ porrectæ publicatis decretis. p. 38.
Miniſtrorum Synodalium munera, & nomina. p. 40.

INDEX ALTER ALIARVM MATERIARVM.

Formula profeſſionis fidei emittendæ. p. 52.
Edictum circa expoſitionem Sanctiſſimæ Eucbariſtiæ. p. 56.

Edit to

Editto in ordine all'habito talare. p.57.
Decretum circa communionem quotidianam. p.59.
Lettera della Sacra Congregatione intorno à gl'Eſercitij Spirituali da farſi da gli Ordinandi, e dalle Zittelle monacande diretta all'Illuſtr. Sig. Arciueſc. di Genoua. p.64.
Inſtructio pro examine illorum teſtium, qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs, tam in curia Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card. *Vrbis Vicarij, quàm in alijs curijs cæterorum Ordinariorum.* p.66.
Lettera della Sacra Congregatione ſopra i Veſcoui, e Regolari intorno l'età di quelle, che prendono l'habito di Monache. p.72.
Declaratio Sacræ Congreg. Conc. Trid. à Sanctiſs. D. N. Clemente Papa XI. approbata ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium. p.73.
Decretum circa proclamationes matrimoniorum faciendas. p.75.
Inſtruttione per li Parrochi. p.77.
Auuiſi à Curati dell'anime per inſegnar la Dottrina Chriſtiana. p.82.
Capitoli per la Compagnia della Dottrina Chriſtiana. p.83.
Inſtruttione per gli Ordinandi. p.90.
Formola di publicatione da farſi per gl'initiandi alla prima Tonſura. p.94.

Forme-

Formola di proclami per li promouendi à gli Ordini Sacri. p.95.
Publicum Synodi documentum. p.96.

F I N I S.

Pag.	*Errata Synodi*	*Corrige*
Pag. 3. l. 3.	Ianuenſi	Ianuenſis
12. 18.	tintinnabili	tintinnabuli
Ibidem 28.	exquirendis	exquirends
13. 10.	tenorum	tenorem
Ibidem 16.	aſſligatur	aſſligatur
14. 8.	addere	reddere
Ibidem 24.	litera	litteras
18. 9.	ſiut	ſiant
19. 6.	ſine	ſint
21. 8.	proceſſionis	proceſſiones
37. 17.	a Confirmantes	. Confirmantes
46. 16.	maiores	maiorrs
59. 1.	affiſſa	affiſſo
61. 22.	ad	ac
76. 16.	Dato.	Dat.
90. 6.	degl'	dell'
99. 4.	confidente	conſidente

IN TERTIA ORATIONE.

	Errata	*Corrige*
Pag. 130. l. 4.	ſanguines	ſanguinis
Ibidem l. 27.	inuitas	inuitat
Pag. 131. l. 2.	treneum	Ireneum
Ibidem l. 7.	altarius	altaris
Pag. 132. l. 2.	impræceps	in præceps
Ibidem l. 8.	prgemitteret	præmitteres
Pag. 133. l. 5.	irreuerentium	irreuerentiam
Pag. 135. l. 22.	conueniſti	conueniſtis

Pag. 44. *Poſt duos Punctatores ibi nominatos; id quod ſequitur eſt titulus aliorum officialium.*

Pag. 96. lin. 10. *Ante dictionem* impreſſæ *adde* hæ conſtitutiones.

Nonnulla alia prudentiæ, ac benignitati Lectoris committuntur, & commendantur.

prę∫ertim ; quod Dignitatibus ; & Canonicis Metropolitanę Eccleſię ob negligentiam Impreſſoris non fuit vbiquè appoſitus Titulus *Perilluſtris* ab Illuſtriſs., & Reuerendiſs. Domino Archiepiſcopo laudatus, ac multotiès in Synodo acclamatus, vtpotè Eccleſiaſtico Senatui prę cęteris magis accommodatus. Concil. Trid. ſeſſ. 24 cap. 12. de ref.

Additur etiam, omiſſam fuiſſe declarationem, quod pręſens Synodus deliberata fuerit, vocatis priùs ad conſilium Perilluſtribus, & admod. RR.DD. Canonicis Petro Hieronymo Tiſcornia, ac Aurelio Pallauicino à Reuerendiſs. Capitulo pręfatę Metropolitanę ad effectum prędictum deputatis.

preſertim, quod Dignitatibus, & Canonicis Metropolitanæ Eccleſiæ ob negligentiam Impreſſoris non fuit vbique appoſitus Titulus *Perilluſtris* ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino Archiepiſcopo laudatus, ac multoties in Synodo acclamatus, vtpote Eccleſiaſtico Senatui præ cæteris magis accommodatus. Concil. Trid. ſeſſ. 24 cap. 12. de ref.

Adderet etiam, omiſſam fuiſſe declarationem, quod præſens Synodus deliberata fuerit, ac cæteris prius ad conſilium Perilluſtribus, & admod. RR.DD. Canonicis Petro H[illegible] Tiſernia, ac Aurelio Pallauicino à [illegible] Capitulo præfatæ Metropolitanæ [illegible] prædictum deputatis.

[illegible]